REFORMATIO LEGUM ECCLESIASTICARUM,

EX AUTHORITATE PRIMUM Regis HENRICI 8. inchoata:

Deinde per Regem EDOVARDUM 6. provecta, adauctáque in hunc modum, atq; nunc ad pleniorem ipsarum reformationem in lucem edita.

LONDINI,
Typis *T. H.* & *R. H.* impensis *Laurentii Sadler* habitantis in parva Britannia, ad insigne aurei Leonis. *An. Dom. M. DC XL.*

MAR 13 '40

AD Doctum et candidum LECTOREM

PRÆFATIO. I. F.

QUum nihil sit, quod vel ad communem omnium naturam, vel ad privatam cujusque salutem propiùs pertineat, quàm ut in quaque Reipub. societate recta religionis doctrina retineatur, tum ad hanc ipsam optimæ religionis institutionem non parùm retulerit, optimarum pariter legum accedere disciplinam: Quarum altera nos ad pietatem informet, altera externam hominum inter ipsos vitam moresq; componat. Quæ duæ res simul conjunctæ ut plurimùm in omni Repub. rectè administranda valent, seseq; mutuo juvant; ita si divellantur, perinde ac si navem secces mediam, haud ita multum video, quid aut hæc sine illa, aut utraq; pars sine altera, his præsertim temporibus contulerit. Nam ut nulla quantumvis morata civitas, aut regnum commodè haberi possit, si absit, aut aberret religionis regula: sic neque religio rursus quantumlibet exculta præstiterit ad absolvendam fœlicitatis perfectionem, ubi nec morum cura habetur, nec judiciorum servatur severitas. Unde non inscitè ab Augustino dictum est, qui de Dei scribens civitate, posse rempub. fœlicem esse negat, *ubi stantibus quidem mœnibus, mores ruinam patiuntur.* Ideoq; non abs re à sapientissimis majoribus prospectum arbitror, qui præmia pariter cum pœnis temperantes, simúlque

Cum religione conjungenda morum disciplina.

911801

mulq; cum religione legum colligantes instituta, omni reipub. parti consulendum putaverunt, quo videlicet nec bonis deesset, quo ad virtutes, sincerumq; Dei cultum incitari possent; nec malis suppliciorum abesset metus, quo revocentur à flagitio: simúlq; injuriarum controversiæ, (si quæ emergerent) tolli eodem pacto & finiri possent.

Legibus condendis cautiones adhibendæ.

Cæterum diligens hic cum primis, & multiplex adhibenda cautio est. Quemadmodum enim non omnis admittenda est in cætus politicos religio, nisi quæ ad expressam divinæ voluntatis normã quam simplicissimè respondeat: Ita & in condendis legibus prudenti cum primis delectu utendum censeo, ut reipub. accommodentur, non quæ temerè cujusvis effundit temeritas, aut tyrannis obtrudit, sed quæ ad archetypum æqui & honesti, atque perfectæ rationis regulam accedant quam proximè. Prospiciendum deinde, ne aut fisci lucrũ oleant, aut privatam sapiant utilitatem, cujusmodi *Epitadæ* fuisse feruntur, qui cum legem tulisset, ut liberum esset cuiq; sua, cui vellet, relinquere, nihil interim agebat, nisi ut ipse filium, quem odisset, posset exhæredare. Porrò ne credulitatem spirent, quales erant *Draconis*, & *Phalaridis* Agrigentinorum tyranni, quibus & Episcopi Romani addas licebit. Profuerit & illud insuper cavere, ne leges immodica superfluitate, ac multitudine scitorum onerent magis, quam ornent.

1. *Tim.* 1.

Quanquam verò longè id præstantissimum fuerat votisq; omnibus optandum, ejusmodi omnium esse Christianorum mores, ut non paucis aut moderatis modo, sed nullis potius omnino opus esset legibus: tantumque posse religionis vigorem apud omnes, ut de nobis verè affirmari posset Paulinum illud, *Lex justo posita non est, &c.* Verum quando hoc in tanta vitæ infirmitate obtinero non datur, nescio etiam an sperare liceat, in invisibili hac Ecclesia, ubi promiscuè cum bonis ita permisti mali sunt, ut amplior plerúmque pars vincat meliorem; idcircò legum necessario comparata sunt præsidia, ut quos ducere religio nequeat, disciplinæ saltem, legumq; retineat coercio. Sine quibus nullam posse humanæ societatis gubernationem constare, non modò recentiorum temporum exempla, sed vetustissimæ etiam antiquitatis ubique comprobant historiæ: Sive Atticam primum, sive Spartanam spectemus rempublicam. Quarum utraque post varias civilium conflictationum agitationes, tandem acceptis altera à *Solone*, altera à *Lycurgo* legibus, multo dehinc pacatior auctiorq; est reddita. Sic enim de *Athenis* constat, quod cum sine certo aliquo jure tres simul per id tempus factiones inter se contenderent, eaq, dissensio, gliscentibus magis odiis, universis exitium minaretur, *Soloni* respub. mandata est. Is leges tulit, quibus libertatem & otium, per quingintos postea annos, ei restituit reipub. Porro ut non puduit Atticos ea tempestate Ægyptias leges quasdam usucapere, atque in suam transferre rempub. (ut testis est *Herodotus*) idem & *Romanis* postea usu venit, quos cum publica cogeret necessitas leges in civitate sua conscribere, missi sunt in *Græciam* decemviri, qui ex Atticis legibus *Solonis*, *Zaleuci* apud *Locros*, *Charondæ* apud *Thurinos*, *Lycurgi* apud *Lacedæmonios*, *Phoronei* apud *Argivos*, certas legum formulas colligerent, & de rep. instituenda summos in *Græcia* homines consulerent.

Leges Atticæ.

Leges Romanæ duodecim tabularum.

Atque ex iis demùm leges duodecim tabularum conflatæ sunt, quibus tantum

Legum necessitas.

tum tribuit *M. Cicero*, ut alicubi de optimo civitatis statu disputans, à natura discedere prædicat, qui à *Romanis* legibus dissident. Breviter nulla gens, nulla civitas, aut patria tam immanis unquam, aut barbara fuit, quæ non leges, etsi non ubiq; consimiles, non aliquas tamen habuerit, quibus si non omnia propellerentur vitia, at aliquam saltem morum honestatem retineret. Sic neq; Angliæ nostræ jam olim sua defuerunt legum decreta sapienter à prudentissimis majoribus constituta. Declarant id *Bracthonis nomothetica, Inæ Regis, Edovardi senioris, Æthelstani, Eadmundi, Eadgari, Alvredi, Ethelredi, Canuti*, cæterorumq; principum auspiciis institutæ sanctiones. Quæ leges quam diu suam tueri authoritatem potuerunt, viguit aliqua saltem in hoc regno morum disciplina. Tandem non multo post hæc descendit in *Orchestram Scœnicus* planè *artifex* suam saltaturus fabulam, urbis Romæ Pontifex: quicæteris paulatim explosis actoribus, solus ipse Scenam occupare, omnesq; omnium actiones sustinere voluit. Primumq; prophanis magistratibus ea tantum relinquens, quæ prophana videbantur, reliquam partem illam de moribus universam ad se populumq; suum transtulit Ecclesiasticum, callidissimo nimirum commento, dum se fingit Christi in terris vicarium, & Apostolicæ cathedræ hæreditarium successorem. Quod simulatq; semel principibus esse persuasum sensisset, hinc illico majora conandi materiam accipit. Neq; porrò defuit occasioni audacia. Pergens itaq; in cœpta fabula mirus hic histrio, postquam exordium sibi tam pulchre videt procedere, ad reliquas similiter actionis partes se parat, quas nihilo etiam segnius tractat. Ac primùm ad Reges ipsos, summosq; Monarchas affectat viam, eorum autoritatem paulatim vellicare, mox & æquare, tum superare etiam, superatamq; sub jugum mittere pertentat. Hoc ubi etiam succedere intelligit, majore sumpta fiducia, ulterius adhuc progreditur sese dilatare, ac pennas nido majores distendere, nihil jam humile aut plebeium de se cogitans. Qui prius humili soceo incedebat, nunc alto cothurno ingreditur, ex Pontifice Rex factus planè tragicus. Quin nec amplius subditi jam nomen agnoscit, qui jubetur à Christo, ne dominetur suis. Deniq; eousque intumescit magnitudinis hic *Ecclesiarcha*, ut qui leges prius ab aliis accipere, atq; in ordine teneri sit solitus, nunc inversa rerum scœna, leges ipse imponit aliis, ac jura præscribit universis: Quod jus nunc canonicum appellamus. In quo ipso jure, neq; ullum tamen modum tenet illius impudentia, quin leges legibus, decreta decretis, ac iis insuper decretalia, aliis alia, atq; item alia accumulet, nec ullum penè statuit cumulandi finem, donec tandem suis *Clementinis, Sextinis, Iutra & Extravagantibus, Constitutionibus provincialibus, & Synodalibus, Paleis, Glosulis, Sententiis, Capitulis, Summariis, Rescriptis, Breviculis, Casibus longis, & brevibus, ac infinitis Rhapsodiis* adeo orbem confarcinavit, ut Atlas mons, quo sustineri cœlum dicitur, huic (si imponeretur) oneri vix ferendo sufficeret.

Leges Saxonum antiquæ.

Pontificiæ supremitatis invasio.

Jus Pontificium seu canonicum.

Atque hunc quidem in modum se habuit pontificiæ hujus fabulæ epitasis, satis quidem turbulenta, & prodigiosa: In qua mirum quas ille turbas dedit, quos mundo ludos fecit, & quos errores involvit, foris nonnullam quidem religionis faciem obtendens, sed ita ut propius intuenti haud difficile esset videre, longe aliud mysterium in animo eum instituisse, nempe ut ecclesiasticum

Pontifex vendicat utrumque gladium.

sticum imperium aliquod in hoc mundo eminentiæ singularis tolleret. Tũ nec his contentus, jus fori sui haud prius destitit hactenus dilatare, quoad totum etiam civilem gladium, cum plena potestate in suam traduxisset possessionem: non huc spectans interim, ut morum disciplinam in melius proveheret (quod fortassis nunquam illi serio curæ fuit) sed partim ut sedis dignitatem omnibus munitam modis constabiliret, partim ut opes undecunq; quam maximas ad explendam ipsius avaritiam converteret, haud multum dissimili exemplo, quale de *Dionysio Syracusano* commemorat Plutarchus, qui quũ insidioso consilio quam plurimas tulisset leges, alias super alias ingerens, tum easdem pari rursus astutia à populo negligi patiebatur, quo cũctos hac ratione sibi obnoxios redderet. Nec aliud in consilio fuisse huic pontifici videtur in tot congerendis legum centonibus, quam ut *plurimos* canonicis suis articulis *irretitos* teneret, quo *uberior quæstus* ei ex *dispensationibus* & *condemnationibus* accresceret. Atque hanc puta catastrophem esse hujus *choragii*. Nam ut veteres olim Comœdiæ exibant ferè in nuptias; ita pontificis omnes ferè molitiones desinebant in pecunias. Breviter sub hoc pontifice ita gubernata est res ecclesiastica, ut in pejori loco nec aliàs fuerit unquam, nec tum esse potuerit: quando *nihil in religione ferè rectum, in moribus nihil sanum, nihil in conscientiis liberum, nec in cultu sincerum relinquebatur: nec in legibus quicquam, nisiquod ad inutiles quasdam ceremonias, vel absurda dogmata, vel ad ordinis magnificentiam tuendam pertinebat.* Et si in consistoriis ostendebatur nonnulla forsan justitiæ umbra, & morum inspectio, sic tamen res gerebatur, ut pretio nulli non venalis foret impunitas. Cui & hoc porro accedebat incommodi, quòd quum ab iis judiciis procul omnis politica potestas arceretur, interim tota fori tractatio, nescio quibus Canonistis, & officialibus patebat, quorum magna pars ex litibus victitans suum magis spectabat compendium, quam virtutis, ac morum rectitudinem. Ut multa hic supprimam modestiæ causa, fortassis non prætereunda, si non pudori magis consulere, quam calamo indulgere hoc loco libuisset.

Pontificii juris corruptela.

Rex Henricus octavus

Postulabat sane hæc tanta rerum dissipatio necessariam emendationem. Neque fefellit ecclesiam suam divina providentia, cujus singulari beneficio cœpit tandem utcunque scintillare, velut è crassa nebula, promicans sinceriotis religionis aura, regnante auspicatissimæ memoriæ Rege *Henrico* octavo: qui regum omnium, in hoc regno *primus*, magno reipublicæ bono, pontificis hujus nomen, cum superbissimis fascibus, prorsus è regni finibus *excussevat*. Quin nec eo contentus cordatus rex, ut nomen, nudosque solum titulos à se suisque depelleret, nisi & *jura decretaque* omnia, quibus adhuc obstringebatur ecclesia, perfringeret: huc quoque animum adjecit, ut universam secum rempub. in plenam asseret libertatem. Quocirca cum ex ipsius, tum ex publico Senatus decreto delecti sunt viri aliquot, usu & doctrina præstantes, *numero triginta duo, qui penitus abolendo pontificio juri (quod canonicum vocamus) cum omni illa decretorum & decretalium facultate, novas ipsi leges, quæ controversiarum & morum judicia regerent, regis nomine & authoritate surrogarent.* Id quod ex ipsius regis epistola, quam huic præfiximus libro, constare poterit, quæ & serium ipsius in hac re studium, & piam voluntatem aperiat. Laudandum profecto regis propositum, nec illaudandi fortassis eorum

Legum ecclesiasticarum per regem Hen. 8. reformatio.

conatus,

conatus, qui leges tum illas, licèt his longè dissimiles conscripserant. Sed nescio quo modo, quaque occasione res successu caruit, sive temporum iniquitate, sive nimia eorum cessatione quibus tunc negotium committebatur.

Sequitur post hæc regis tandem *Henrici* mors, æquo pulsans pede pauperum tabernas, regumque turres: Post quem subiit in regni habenas relictus à patre filius nunquam satis laudati nominis *Edovardus* sextus. Qui in emendanda primum religione quam adhuc inchoatam reliquit pater, majores impetus, ac vires addidit, nec omnino profecit infœliciter. Quo factum, ut religionis fontes multo, quam antea, purgatiores nativo quodammodo nitori sint restituti. Sed iniquissimi illorum temporum mores, longe à professione dissidentes, & religioni labem & bonis omnibus dolorem non mediocrem asperserunt. In causa creditur, quòd cum doctrina reformata, non item adhibita essent legum ideonea repagula, quæ effrænem multitudinis impunitatem cohiberent. Durabant enim adhuc hæc ipsa, quæ & hodie regnant in curiis, & consistoriis pontificii juris instituta, & constitutiones provinciales, quæpræter verbosam ceremoniarum congeriem, nihil ferè habebant, quod corrigendæ Christianorũ vitæ magnopere conduceret. Neq; interim hoc nesciebat, pro divina sua indole, *Edovardus* noster. Itaque coacto mox Senatu, indictoque frequentissimis comitiis parliamento, non solùm in animo habuit, sed diligenter etiam curavit, paternum sequutus exemplum, ut quod ille factum priùs voluisset, in reformandis pontificiorum canonum decretis, id ipse absolutiori expeditione perfectum redderet.

Rex Edovardus 6. de religionis & disciplinæ cura sollicitus.

Quid multis? ex communi ordinum omnium suffragio, datum id negotii est viris, si non iisdem, quibus superius, at pari tamen numero, nec impari excellentia præditis, triginta videlicet duobus (quod idem etiam ab *Henrico* priùs octavo instituebatur) partim ex Episcopis, partim ex Theologia, partim ex utriusque juris prudentia, partim ex communis quoque juris professione, ad octenos, in quatuor classes, ad hoc ipsum designatis, ut ipsorum arbitrio certa quædam sanctionum capita, in legum formulas redacta figerentur, quæ in locum suffecta Romanarum constitutionum, reip. & moribus in melius formandis quam maximè salutares proponerentur.

Leges ecclesiasticæ per Regem Edovardum 6. renovatæ.

Nec longum erat, quin regis voluntati satisfactum sit. Res enim, tanquam pensum, in varias distributa operas fœlicitate non minori, quam celeritate confecta est, hoc observato ordine: ut Duo hi & triginta (quos diximus) in quatuor classes, æqua proportione ita dividerentur, ut in singulis octonariis duo Episcopi, duo item Theologi, rursusque duo juris utriusque, similiter & communis juris consulti totidem continerentur. Inter quos sic deniq; conventum est, ut quod in singulis classibus concluſum & definitum esset, id per reliquas classes considerandum atque inspiciendum transmitteretur. Quanquam verò ex hoc ipso omni numero, octo potissimum selecta fuerunt capita, quibus prima operis præformatio, quasiq; materiæ præparatio cõmittebatur, quorum nomina Regis in *Edovardi* epistola comprehensa videre liceat.

Legum ecclesiasticarũ authores, & Ordo.

Atq; hoc modo confectæ hæ quidem leges sunt, sive eas ecclesiasticas, sive politicas appellare libeat. Quarum materia ab optimis undiq; legibus petita videtur,

Tho. Cranmerus Archiepiſc. Gualterus Haddonus.

videtur, non ſolum eccleſiaſticis, ſed civilibus etiam, veterumq; Romanorum præcipua antiquitate. Summæ negotii præfuit *Tho. Cranmerus* Archiepiſc. Cant. Orationis lumen & ſplendorem addidit *Gualterus Haddonus*, vir diſertus, & in hac ipſa juris facultate non imperitus. Quin nec ſatis ſcio an *Joan. Checi* viri ſingularis eidem negotio adjutrix adfuerit manus. Quo factum eſt, ut cultiori ſtylo concinnatæ ſint iſtæ leges, quam pro communi cæterarum legum more. Atq; equidem lubens optarim, ſi quid votis meis proficerem, ut conſimili exemplo, nec diſſimili etiam oratione ac ſtylo, profiliat nunc aliquis, qui in vernaculis noſtris legibus perpoliendis idem efficiat, quod in eccleſiaſticis iſtis præſtitit clariſſimæ memoriæ hic Haddonus.

Sed hæc aliorum relinquens perpenſioni, ad eccleſiaſticas noſtras redeo, quæ quemadmodum elaboratæ fuerint, quibuſq; authoribus conſcriptæ, jam aperuimus. Reſtabat nunc de illarum dignitate & æſtimatione aliquid porrò mihi diſſerendum. Sed quia nolim meo judicio cæteris præcurrere, liberam ſuam cuiq; cenſuram relinquo. Nobis ſat erit, quoniam jampridem in ſuperioribus Monumentis noſtris promiſſa ſunt, ſtudioſis lectoribus hæc propoſuiſſe, non ut vim illico legum authoritatemq; induant; ſed ut ſpecimen duntaxat rei, velut ad guſtum iſta lectitare volentibus, exhiberemus, quæ ubi perlecta fuerint, pro ſuo quiſq; captu, quid de iis ſtatuendum putet, libere ſecum penſitet. Ut nihil eſt, nec unquam fuit, tam fœliciter humano elucubratum ingenio, cui non aliquid inhæſit nævi, ita neq; hic fortaſſe defutura ſunt, quæ δυσέρεας φροϊδας & acriorem lectoris diſcuſſionem flagitare nonnullis videbuntur. In quo genere præter alia quæ brevitatis cauſa tranſilire cogor, hoc unum minime, vel prætereundum mihi, vel doctis judiciis admittendum videtur, quod lex iſta vetat in titulo de divinis officiis, Cap. 16. ne quicquam omnino præter præſcripta peragatur, & formulas illius libri noſtra communi lingua ſcripti quem proprium & perfectum omnis divini cultus magiſtrum eſſe ſtatuit, &c. Nos verò perfectum omnis divini cultus magiſtrum, ſolum dei verbum agnoſcimus, cum interim in hoc libro non eſſe nulla conſtat, quæ per omnia minus quadrare ad amuſſim eccleſiaſticæ reformationis videantur, multoq; rectius fortaſſe mutarentur. Sed hæc ab aliis rectius perſpici, quàm à me admoneri poterint.

Interim Illuſtriſſimi Principis *Edovardi* noſtri tam piam vereq; chriſtianam ſollicitudinem nunquam ſatis laudare queo, nec minus præclare eorum etiam doctorum hominum navatam diligentiam arbitror, qui congerendis his legibus præfuerunt, quas ſumma approbatione & applauſu illorum tum temporum fuiſſe receptas conſtat. Nec dubium quin Parliamentari etiam authoritate eædem ſanctiones iſtæ conſtabilitæ, atq; in publicum uſum cõſecratæ fuiſſent, ſi vita regi paulo longior ſuppetiſſet. Quod ut valde tũ dolendum eſt non contigiſſe, ita nunc viciſſim optandum, quod per præmaturam mortem regis illius negatum eſt eccleſiæ fœlicitati per fœliciora tempora Sereniſſimæ Reginæ noſtræ *Elizebethæ* ſuppleatur, accedente publica hujus nunc Parliamenti authoritate, ſimulq; faventibus doctorum hominum ſuffragiis. Quos ut noſtram hanc in edendo audaciam boni conſulant impensè rogamus.

Rex Henrigus Octavus.

HENRICUS *Octavus Dei gratia, Angliæ & Franciæ Rex, fidei defensor, & Dominus Hiberniæ, ac in terris Anglicanis sub Deo caput supremum; Omnibus Archiepiscopis, Abbatibus, Clericis, Ducibus, Marchionibus. Comitibus, Baronibus, Militibus, generosis, ac aliis cujuscunque generis hominibus, subditis & legiis nostris, per regnum nostrum, & dominia nostra ubilibet commorantibus, salutem & Evangelicæ veritatis incrementum. Cum vos optimi cives mei mihique charissimi, me nunc unum atque solum hujus Regni principem, interrisq; secundum deum, hujus ecclesiæ Anglicanæ unicum supremumque caput, quemadmodum divini atque humani juris ratio postulat, potestatemque tam ecclesiasticæ quàm mundanæ politiæ mihi, majoribusque meis,* ipso jure divino *concessam, (verùm multis sæculis unius Romani Episcopi malitia,*

tia, fraude, dolis, atque astutia, ereptam) ad me & successores meos pertinere una voce, uno omnium assensu agnoscitis: non possum indies magis magisque muneris, átque officii mei rationem non habere, deque illustranda Dei gloria, de Christianæ pietatis vera doctrina propaganda, de imperii hujus incolumitate, & quiete tuenda, summa animi cura, atque cogitatione non esse sollicitus. Occurrunt enim subinde animo meo verba illa, quæ Sapientiæ *Cap. 7. habentur ad hunc modum: Audite reges, & intelligite, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & scrutabitur cogitationes. Ad vos ergo reges sunt hii sermones mei, ut discatis sapientiam, & ne excidatis. Qui enim custodiunt justitiam, justè judicabuntur; et qui didicerunt justa, invenient quid respondeant, &c. Hinc facilè perspici potest eos actissimè à regibus potestatis suæ reddendam esse rationem, illosque gravissimas manere pœnas, si non, ut oportuit, in republica administranda sese gesserint.*

Sapient. Cap. 7.

Quòd si tanta cura, ac solicitudine quibuscunque regibus opus est, quàm anxios igitur ac solicitos Christianos reges esse debere censendum est, quibus non politia modo civilis, sed ecclesiastica etiam potestas data est? Hos enim non tantum quæ ad humanam societa-

tem

tem pertinent, sed etiam quæ divinæ Christianæque religioni maximè consentanea sunt, curare necesse est: præsentem hujus sæculi fœlicitatem principes Christianos ita metiri convenit, ut hac potestate sua ad Dei cultum dilatandum utantur, ut in hoc incumbant, ut recta doctrina propagetur, orneturque Dei gloria.

Cum igitur à Christianis regibus justitiam in imperio, pacis tuendæ curam, pietatem, studium juvandæ & ornandæ religionis Christianæ exigi animadverterem, nihil mihi potius esse debere judicabam, quam ut omnes inirem rationes, quò minus in hoc meo regno hæc à me desiderentur, &, quoad possem, muneri imposito satisfacerem: Hoc ut facilius expeditiúsque præstare valeam, non ignoratis vos, quantam curam adhibuerim in illis rebus promovendis, tuendisque, quæ huic negotio maximè conducere atque adjumento esse videbantur; quæ contra impedire atq; obesse visa sunt, quanto studio tollere, ac delere conatus sum, assiduéq; conor. Abundè enim vobis declaratum hactenus fuit, quàm in hac nostra Britania, multis verò sæculis, episcopi Romani vis injusta, ac non ferenda sacrosancto divino nomini inimica fuit; quantopere religioni Christianæ, veræ doctrinæ propagandæ adversata est, quantũ hujus reipublicæ pacem ac tranquillitatem sæpissime interturbavit, potestatemq;

regiam divinitus constitutam labefactando, divinam omnium obedientiam, à vero ac justo principis sui imperio, contra omne jus divinum & humanum, ad se transferre ausus est. Hujus potestatem huic cum divino munere sublatam esse manifestum est, & ne quid superesset, quo non planè fractam illius vim esse constaret, leges omnes, decreta atq; instituta, quæ ab authore episcopo Romano profecta sunt, prorsus abroganda censuimus. Quorum loco, ut faciliùs imposterum Dei Opt. Max. gloria illustretur, & vera Philosophia christiana regnumq; Christi vigere possit, & quo omnia decenter & ordine in Christi hac ecclesia gerantur; en vobis authoritate nostra editas leges damus, quas à vobis omnibus suscipi, coli, & observari volumus, & sub nostræ indignationis pœna mandamus, ut vestra in Deum pietas, amor erga patriam, principemq; vestrum obedientia, non sine immensa divini nominis gloriâ omnibus conspicua sit, ac vosmetipsos non minus de vestris rationibus sollicitos ostendatis, quàm ego vestra causa de officio fuerim meo, strictè præcipientes, ut his nostris constitutionibus vos omnes & singuli, tam in judiciis, quàm in gymnasiis utamini, severè prohibentes, ne quisquam vestrûm alias præter has, & regni nostri leges, admittere præsumat. Valete.

REX

REX.

EDOVARDUS SEXTUS.

EDOVARDUS Sextus, Dei gratia, Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex, fidei defensor, & in terra, Ecclesiæ Anglicanæ & Hibernicæ supremum Caput: Reverendissimo in Christo Patri, *Thomæ*, eadem gratia Cantuariensi Archiepiscopo, totius *Angliæ* Primati & Metropolitano: Reverendoq; in Christo Patri, *Thomæ*, Elienſi Episcopo: Ac dilectis nobis in Christo, *Richardo Cox*, Eleemosynario nostro, *Petro Martyr*, Sacræ Theologiæ professoribus, *Willihelmo Maye*, *Roulando Taylour* de *Hadley*, Legum Doctoribus: Nec non dilectis & fidelibus nostris, *Johanni Lucas*, & *Richardo Gooderike* Armigeris, salutem: Cum vos triginta duos viros, ad leges nostras Ecclesiasticas perlegendas & componendas, juxta vim, formam, & effectum cujusdam Acti Parliamenti, in tertio Regni nostri anno, apud *Westm.* facti, brevi assignare & deputare proponimus, & ubi numerus prædictus ad tractatum legum prædictarum, describendarum & componendarum nimius videtur, tametsi id tum propter consultationem & judicium super eo habendum,

bendum, tum etiam propter perfectionem & complementum earundem longè expediens exiſtit, nobis, moventibus Conſiliariis noſtris à ſecretis, conſentaneum magis videtur, hujus rei initium, introitum, primam formam, & lineaturam numero octavo, qui doctorum triginta erit portio, committere: nempe quaſi præparationem quandam grandiori numero futuram.

Quapropter de prudentia, ſcientia, & diligentia veſtris plurimum confidentes, de ſententia conſilii, novimus, & deputavimus vos commiſſarios noſtros, & vobis autoritatem per præſentes impartimus, ut loco & tempore congruis, & oportunis, celeritate conveniente, qua poteritis maxima, inſimul conveniatis, curſumq; legum Eccleſiaſticarum, infra regnum noſtrum in uſu exiſtentium, aut antehac uti ſolitarum, diligenter perlegatis, conſideretis, & ponderetis, eoq; facto, illarum loco & vice, collectionem, compilationem, & ordinem talium legum Eccleſiaſticarum inveniatis, faciatis, & in ſcripta redigi faciatis, quales in uſu eſſe, practicari, & in quibuſcunq; curiis & juriſdictionibus noſtris Eccleſiaſticis, infra iſtud regnum noſtrum & alia noſtra dominia, proponi & publicari, de ſcientia, ſapientia, & judicio veſtris maximè expediens fore putaveritis. Habentes conſiderationem & reſpectum debitum ad tenorem ſtatuti prædicti, pro præſervatione legum noſtrarum communium, in ſuo vigore remanentium, & pro omnibus aliis articulis & ramis dicti ſtatuti. Et quamprimum leges prædictæ per vos adinventæ, formatæ, deſcriptæ & compilatæ fiunt, eaſdem ſtatim nobis exhiberi, & in ſcriptis tradi volumus, ut eas de conſilii noſtri ſententia, de reſiduo triginta duorum, unà vobiſcum, pro ulteriore legum prædictarum Eccleſiaſticarum ratificatione & perfectione, tanquam commiſſariorum noſtrorum,

juxta

juxta formam ſtatuti prædicti, conjunctim nominandorum tranſmittamus.

Et quamvis vos ea modeſtia & ſapientia præditos eſſe ſcimus, quòd onus iſtud humeris veſtris commiſſum & impoſitum, haud parvi eſſe momenti & ponderis æſtimabitis; conſiderantes tamen, quòd propoſitum noſtrum non eſt aliud, quàm præparationis cujuſdam gratia iſtud à vobis effectum reddi: ita quòd major numerus ad conſultationem, & perfectionem ejuſdem, magis certò & ordinatè procedere valeat, certiores vos eſſe volumus, quòd actiones & ſtudia veſtra in hac parte, cùm erunt nobis gratiſſima, tum aut benigniſſima, & maximè favorabili interpretatione accepta.

Et præterea volumus, quòd ſtatim poſt receptionem præſentium unâ conveniatis, & hac in re, celeritate & expeditione ea utamini, quàm cauſa expoſcit: Mandantes & ſtrictè præcipientes omnibus & ſingulis perſonis, quarum conſilio, ſententia, & ope, in hac parte, vos opus habebitis, quòd illi per vos requiſiti opem præſtent, conſulant, & juvent, quemadmodum nobis placere cupiunt. In cujus reſtimonium has Literas noſtras fieri fecimus Patentes. Teſte meipſo apud *Weſtm.* xi. die *Novemb.* Anno regni Regis quinto. (1551)

Marton.

Per ipſum Regem, & de data prædicta auctoritate Parliamenti.

Tabulæ Titulorum.

1 De summa trinitate & fide Catholica.
8 De hæresibus.
22 De Judiciis contra hæreses.
27 De Blasphemia.
28 De Sacramentis.
31 De Idololatria, &c.
34 De concionatoribus.
37 De matrimonio.
44 De gradibus prohibitis.
47 De adulteriis & divorsiis.
56 De admittendis ad Ecclesiast. beneficia.
67 De renunciatione beneficiorum, &c.
67 De permutatione beneficiorum.
70 De purgatione.
77 De dilapidationibus.
80 De alienatione bonorum Ecclesiæ.
81 De electione.
81 De beneficiis conferendis.
84 De Divinis oficiis.
92 De Ecclesia & ministris ejus.
106 De Ecclesiarum gardianis.
113 De Academiis.
115 De Decimis.
124 De visitationibus.
128 De Testamentis.
148 De pœnis Ecclesiasticis.
151 De Suspensione.
155 De Sequestratione.
157 De Deprivatione.
159 De excommunicatione.
179 De Judiciis.
181 De criminibus.
183 De Judiciis.
189 De officio Judicum.
200 De litis contestatione.
205 De Juramentis.
210 De Juramento calumniæ.
213 De probationibus.
219 De possessione.
224 De fide.
229 De Crimine falsi.
245 De Testibus.
246 De Consuetudine.
250 De præscriptionibus.
250 De vi contra Clericum.
254 De præsumptionibus.
256 De diffamationibus.
264 De dilationibus.
270 De exceptionibus.
279 De sententia.
299 De appellationibus.
De regulis juris.

DE SUMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA.

¶ *De fide Christiana ab omnibus amplectenda & profitenda.* Cap. 1.

QUoniam Regni potestas, & legum administrandarum jus ad nos ex Deo pervenit, principium nobis ab eodem Deo capiendum erit. De cujus natura cùm rectè fuerit & ordine constitutum, facilior erit reliquarum legum provisio, quas ad confirmandum in Regno nostro verum Dei cultum, & ad ipsum Ecclesiæ statum conservandum, adhiberi curavimus. Quapropter omnes homines ad quos imperium nostrum ulla ratione pertinet, Christianam religionem suscipere & profiteri volumus, & jubemus. Contra quam qui cogitationes, aut actiones ullas suscipiunt, impietate sua Deum à se abalienant: nos autem qui divinæ Majestatis administri sumus, & facultates universas & ipsam denique vitam illis abjudicandam esse statuimus, quicunque tam immani se scelere impietatis obligaverint. Et hoc in omnibus valeat nostris subditis, quocunque nomine, loco, vel conditione censeantur.

¶ *De Natura Dei, & beata Trinitate, quid sit credendum.* Cap. 2.

OMnes filii Dei per *Jesum Christum* renati, ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta credant &

confiteantur, unum eſſe vivum & verum Deum æternum, & incorporeum, impaſſibilem, immenſæ potentiæ, ſapientiæ & bonitatis, creatorem & conſervatorem omnium rerum tum viſibilium tum inviſibilium. Et in unitate ejus divinæ naturæ, tres eſſe perſonas, ejuſdem eſſentiæ ac æternitatis, patrem, filium, & ſpiritum ſanctum. Patrem verò à ſeipſo eſſe, nec ab alio quoquam vel generari vel procedere: & filium quidem à patre generari; Spiritum ſanctum verò & à patre & à filio procedere: nec ullam naturæ diverſitatem aut inæqualitatem in iſta perſonarum diſtinctione poni, ſed quoad ſubſtantiam, vel ut dicunt, eſſentiam divinam, omnia inter eos paria & æqualia eſſe.

¶ *De Chriſto & myſteriis noſtræ redemptionis.* Cap. 3.

CRedatur etiam, cum veniſſet plenitudo temporis, filium qui eſt verbum patris, in utero beatæ virginis *Mariæ*, ex ipſius carnis ſubſtantia, naturam humanam aſſumpſiſſe, ita ut duæ naturæ, divina & humana, integrè atque perfectè in unitate perſonæ fuerint inſeparabiliter conjunctæ: ex quibus unus eſt Chriſtus verus Deus & verus homo: qui verè paſſus eſt, crucifixus, mortuus & ſepultus, deſcendit ad inferos, ac tertia die reſurrexit, nobiſque per ſuum ſanguinem reconciliavit patrem, ſeſe hoſtiã offerens illi, non ſolùm pro culpa originis, verùm etiam pro omnibus peccatis quæ homines propria voluntate adjecerunt.

¶ *De duabus Chriſti naturis poſt reſurrectionem.* Cap. 4.

CRedatur item Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, etiam poſt reſurrectionem, duplici natura conſtare: divina quidem, immenſa, incircumſcripta, & infinita, quæ ubiq; ſit & omnia impleat: Humana vero, finita & deſcripta hu-

humani corporis terminis ac finibus, qua, postquam peccata nostra perpurgavisset, in cœlos ascendit, ibique ita sedet ad dexteram patris, ut non ubique sit, quippe quem oportet in cœlo remanere, usque ad tempus restitutionis omnium, cùm ad judicandum vivos, & mortuos veniet, ut reddat cuique juxta opera sua.

¶ *De tribus Symbolis.* Cap. 5.

ET quoniam omnia fermè, quæ ad fidem spectant Catholicam, tum quoad beatissimam Trinitatem, tum quoad mysteria nostræ redemptionis, tribus Symbolis, hoc est, Apostolico, Niceno, & Athanasii breviter continentur: idcircò ista tria Symbola, ut fidei nostræ compendia quædam, recipimus & amplectimur, quod firmissimis divinarum & canonicarum Scripturarum testimoniis facilè probari possint.

¶ *Quæ sint canonicæ Scripturæ, quoad vetus Testamentum.* Cap. 6.

UT autem quæ sint Scripturæ illæ canonicæ, ex quibus solis religionis & fidei dogmata constare & confirmari debent, non ambigant fideles, illarum catalogum hic ascribendum duximus, secuti in veteri Testamento illum, quo Hebræi utuntur, ordinem, qui sic habet.

Libris Moysis quinque.	Job.
Josue.	Proverbia.
Judicum.	Daniel sepositis Apocryphis
Samuelis. 2.	Paralipomenon. 2.
Regum. 2.	Canticum Canticorum.
Esayas.	Ruth.
Hieremias.	Threni.
Ezechiel.	Ecclesiastes.
Prophetæ minores. 12.	Hester.
Psalterium.	Esdras, & Nehemias.

Omnes isti libri, quos recensuimus, certò sunt canonici.

¶ *Libri sacri, non tamen canonici.* Cap. 7.

LIber verò qui Sapientia Salomonis inscribitur, Ecclesiasticus, item Judith, Tobias, Baruch, tertius & quartus Esdræ, Libri Machabeorum, cum Apocryphis Hester & Danielis, leguntur quidem à fidelibus, & in ecclesia recitantur, quòd ad edificationem plebis plurima in illis valeant, quibus tamen non tantum authoritatis tribuitur, ut fidei nostræ dogmata ex ipsis solis, & separatim citra alios indubitatæ Scripturæ locos constitui, constabilirique vel possint, vel debeant. Sunt ergo & cum judicio, & sobriè isti tum audiendi tum legendi.

¶ *De libris canonicis novi Testamenti.* Cap. 8.

IN novo autem Testamento pro canonicis libris agnoscit, & admittit ecclesia hos qui sequuntur.

Quatuor Evangelia, videlicet.
- Matthæi.
- Marci.
- Lucæ.
- Johannis.

Acta Apostolica.

Epistolas Pauli ad
- Romanos.
- Corinthios. 2.
- Galatas.
- Ephesios.
- Philippenses.
- Colossenses.
- Thessalonicenses. 2
- Timotheum. 2.
- Titum.
- Philemonem.
- Hebræos.

Epi-

Epistolas Canonicas { Jacobi. 1. / Petri. 2. / Johannis. 3. / Judæ. 1.

Apocalypsim.

¶ *Omnia credenda ex canonicis haberi Scripturis.* Cap. 9.

HÆc igitur generatim est sancta Scriptura, qua omnia creditu ad salutem necessaria, plenè & perfectè contineri credimus, usque adeo ut quicquid in eâ non legitur, nec reperitur, nec denique ex eadem aut consequitur, aut convincitur, à nemine sit exigendum ut tanquam articulus fidei credatur.

¶ *Suprema est in ecclesia scripturæ divinæ authoritas.* Cap. 10.

DIvinæ Scripturæ tanta credatur authoritas, ut nulla creaturæ cujusvis excellentia ipsi vel anteponenda sit vel æquanda.

¶ *Ecclesia contra Scripturas nil potest constituere, nilque præter easdem obtrudere debet necessario credendum.* Cap. 11.

QUamobrem non licet Ecclesiæ quicquam constituere, quod verbo Dei scripto adversetur, neque potest sic unum locum exponere, ut alteri contradicat. Quamquam ergo divinorum librorum testis sit & custos & conservatrix ecclesia, hæc tamen prærogativa ei minime concedi debet, ut contra hos libros vel quicquam decernat, vel absque horum librorum testimonio ullos fidei articulos condat, eosque populo Christiano credendos obtrudat.

¶ *Ad codices Hebraicos in veteri Testamento recurrendum, ac in novo ad Græcos.* Cap. 12.

CÆterum in lectione divinarum Scripturarum si qua occurrerint ambigua, vel obscura in veteri Testamento, eorum interpretatio ex fonte Hebraicæ veritatis petatur, in novo autem Græci codices consulantur.

¶ *Symbola fidei utilia sunt ad interpretandam Scripturam.* Cap. 13.

SUmma præterea fidei capita (quæ articulos appellamus) è sacris scripturis clarissimis desumpta, & in Symbolis breviter comprehensa in exponendo sacras literas ob oculos perpetuo habeantur, ne quid contra ea aliquando interpretemur, aut definiamus.

¶ *De Conciliis quid sentiendum.* Cap. 14.

JAm verò conciliis, potissimum generalibus, tametsi ingentem honorem libenter deferimus, ea tamen longe omnia infra Scripturarum canonicarum dignitatem ponenda judicamus, sed & inter ipsa concilia magnum discrimen ponimus. Nam quædam illorum, qualia sunt præcipua illa quatuor, Nicenum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum, & Calcedonense, magna cum reverentia amplectimur & suscipimus. Quod quidem judicium de multis aliis quæ postea celebrata sunt ferimus, in quibus videmus & confitemur sanctissimos patres de beata & summa Trinitate, De *Jesu Christo* Domino & servatore nostro, & humana redemptione per eum procurata, juxta Scripturas divinas multa gravissimè & perquam sanctè constituisse. Quibus tamen non aliter fidem nostram obligandam esse censemus, nisi quatenus ex Scripturis sanctis confirmari possint. Nam concilia nonnulla interdum

dū erraſſe,& contraria inter ſeſe definiviſſe,partim in actionibus juris, partim etiam in fide, manifeſtum eſt. Itaq; legantur concilia quidem cum honore atque Chriſtiana reverentia, ſed interim ad Scripturarum piam,certam rectamque regulam examinentur.

¶ *Quæ ſanctorum patrum authoritas.* Cap. 15.

POſtremo Orthodoxorum patrum etiam authoritatem minime cenſemus eſſe contemnendam:ſunt enim permulta ab illis præclare, & utiliter dicta: ut tamen ex eorum ſententia de ſacris literis judicetur, non admittimus. Debent enim ſacræ literæ nobis omnis Chriſtianæ doctrinæ,& regulæ eſſe & judices. Quin & ipſi patres tantum honoris ſibi deferri recuſarunt, ſæpiùs admonentes lectorem, ut tantiſper ſuas admittat ſententias & interpretationes, quoad cum ſacris literis conſentire eas animadverterit. Maneat ergo illis ſua authoritas & reverentia, ſed quæ ſacrorum librorum ſententiæ, veritati atque authoritati cedat & ſubjiciatur.

¶ *Epilogus.* Cap. 16.

CÆterū quoniam perlongum eſſet,& plane opus valde laborioſum,omnia nunc diſtinctè ſcribere quæ Catholica fide ſunt credenda, ſufficere judicamus quæ breviter de ſumma Trinitate, De *Jeſu Chriſto* Domino noſtro, & de ſalute per eum humano generi parta diximus.

¶ *Pereunt qui Catholicæ fidei adverſantur,vel ab ea deficiunt.* Cap. 17.

HOc ipſum tamen ſilentio præterire non poſſumus,eos omnes miſere perire qui Orthodoxam Catholicamque fidem amplecti nolunt: & longe gravius eos eſſe damnandos qui ab ea ſemel agnita & ſuſcepta defecerunt.

¶ DE

DE HÆRESIBUS.

¶ *Qui sint Hæretici, & qui non sint.* Cap. 1.

HÆreticos statuimus omnes, quicunq; communis nostræ fidei decretũ aliquod secus accipiũt, quam sacra Scriptura determinatum est, & in errore sic habitant, ut omnino se non sinant ab illo removeri. Nec illud in hoc genere spectandum est, utrum aliquis ipse sibi erroris fuerit author, an illum aliunde acceptum ipse sequatur, & defendat. Qui vero non commorantur in hæresi, non illum defendunt, sed inquirunt veritatem, & cùm à legitimis judicibus plenè fuerint instructi, suam ipsi culpam agnoscunt, & in eo se corrigi facilè patiuntur, in hæreticorum numero poni non debent.

¶ *Schismatici, & hæretici quomodo differant.* Cap. 2.

SChismaticos plerique cum hæreticis confuderunt. Sed tamẽ magna inter illos est differentia. Nec enim schismatici fidem aliam habent, quàm cæteri: sed à communi illa, quæ inter Christianos esse debeat, societate se distinguunt. Itaque nonnunquam usu venit, ut cùm longe à piis aliorum institutis, & officiis, peregrinati sunt, tandem ad aliquam hæresim dilabantur, ut se vehementius à recepta bonorum communitate segregent.

¶ *De hiis qui sacrarum Scripturarum authoritatem rejiciunt.* Cap. 3.

CApitalis Christiani nominis hostis Satan, ad salutare divinarum Scripturarum semen in Dei ecclesia sparsum, tam pestilentem hæresim, quasi loliorum & zizanio-

rum

orum, infundit, ut universæ vix enumerari possint hæ faces, quibus Ecclesia conflagravit, & adhuc miserabiliter ardet, diabolo majorem quotidiè falsarum opinionum materiam accumulante. Nos igitur his constitutionibus nostris breviter per illas hæreses prætervehemur, quarum præsens pestis perniciem religionis nostrorum temporum adhuc incubat. In quo genere teterrimi illi sunt, (itaque à nobis primum nominabuntur) qui sacras Scripturas ad infirmorum tantùm hominum debilitatem ablegant & detrudunt, sibi sic ipsi interim præsidentes, ut earum authoritate se teneri non putent, sed peculiarem quendam spiritum jactant, à quo sibi omnia suppeditari aiunt quæcunq; docent & faciunt.

¶ *De his qui vetus Testamentum aut totum rejiciunt, aut totum exigunt.* Cap. 4

DEinde quomodò priscis temporibus Marcionitarum sordes, Valentinianorum & Manicheorum fluxerunt, & aliæ similes earum multæ feces, à quibus vetus Testamentum urabsurdum maximque, & cum novo dissidens repudiabatur: sic multi nostris temporibus inveniuntur, inter quos Anabaptistæ præcipuè sunt collocandi, ad quos si quis vetus Testamentum alleget, illud pro abrogato jam & obsoleto penitus habent, omnia quæ in illo posita sunt ad prisca majorum nostrorum tempora referentes. Itaque nihil eorum ad nos statuunt pervenire debere. Aliorum autem contrarius est, sed ejusdem impietatis error, qui usque adeo ad vetus Testamentum adhærescunt, ut ad circumcisionem & à *Mose* quondam institutas ceremonias necessariò nos revocent.

¶ *De duabus naturis Christi.* Cap. 5.

CIrca duplicem Christi naturam, pernicioſus est & varius error: ex quibus alii sunt ex Arrianorum secta,

Christum ita ponentes hominem, ut Deum negent. Alii eum sic Deum judicant, ut hominem non agnoscant, & de corpore nugantur de cœlo divinitùs assumpto, & in virginis uterum lapso, quod tanquam in transitu, per *Mariam*, quasi per canalem aut fistulam præterfluxerit. Quidam verbũ in carnis naturam conversum, asserũt quam, quamprimùm à morte in cœlum fuit recepta, rursus volũt in naturam divinam reversam & absorptam esse. Quorum illi delirium imitantur, qui corpori Christi tam latos fines dant, ut illo credant aut omnes locos simul, aut numeros obsideri: Quod si confiteremur, humanam è Christo naturam eximeremus. Quemadmodum enim Dei natura sibi hoc assumit, ut per omnia permeet, sic humanæ semper illud attributum est, ut certis locorum finibus circumscripta sit. Quidam corpus ipsum sæpe dicunt, & subinde factum esse. Qui errores omnes sacrarum Scripturarum authoritate sic corrigendi sunt, ut Christus meliore natura Deus sempiternus accipiatur, & quidem æqualis sit Dei Patris: humanâ verò corpus habeat ex tempore factum, neq; sæpius quàm semel, neq; ex alia materia quàm ex Mariæ virginis vera, & sola substantia, ac quemadmodum reliqua humana corpora suis loci finibus circumscriptum.

¶ *De Spiritu sancto* Cap. 6.

QUomodo verò hæc putida membra sunt ab Ecclesiæ corpore segreganda, quæ de Christo capite tam perversè sentiunt: sic illorum etiam est execrabilis impudentia, qui cum Macedonio contra Spiritum sanctum conspiraverunt, illum pro Deo non agnoscentes.

¶ *De peccato originis, libero arbitrio, & justificatione.* Cap. 7.

IN labe peccati ex ortu nostro contracta, quam vitiũ originis appellamus, primùm quidem Pelagianorum, deinde

de etiam Anabaptistarum nobis vitandus, & submovẽdus est error, quorum in eo consensus contra veritatem sacrarum Scripturarum est, quòd peccatum originis in Adamo solo hæserit, & non ad posteros transierit, nec ullam afferat naturæ nostræ perversitatem, nisi quòd ex Adami delicto propositum sit peccandi noxiũ exemplum, quod homines ad eandem pravitatem invitat imitandam, & usurpandam. Et similiter nobis contra illos progrediendum est, qui tantum in libero arbitrio roboris, & nervorum ponunt, ut eo solo, sine alia speciali Christi gratia, rectè ab hominibus vivi posse constituant. Deinde nec illi sunt audiendi, quorum impietas salutarem & in sacris Scripturis fundatam justificationis nostræ doctrinam oppugnant, in qua tenendũ est, non operum momentis justitiam hominum collocari.

¶ *De perfectione justificatorum, & de operibus supererogationis.* Cap. 8.

ILlorum etiã superbia legibus nostris est frangenda, qui tantam vitæ perfectionem hominibus justificatis attribuunt, quantam nec imbecillitas nostræ naturæ fert, nec quisquam sibi præter Christum sumere potest; nimirum ut omnis peccati sint expertes, si mentem ad rectè piéq; vivẽdum instituerint. Et hanc volunt absolutam morum perfectionem in hanc præsentem vitam cadere, cùm debilis ipsa sit, & fragilis, & ad omnes virtutis, & officii ruinas præceps. Tum & illorum arrogantia comprimenda est, & authoritate legum domanda, qui supererogationis opera quædam importaverunt, quibus existimant non solùm cumulatè Dei legibus, & expletè satisfieri, sed aliquid etiam in illis amplius superesse quàm Dei mandata postulent, undè & sibi mereri, & aliis merita applicare possint.

¶ *De casu justificatorum, & peccato in spiritum-sanctum.* Cap. 9.

ETiam illi de justificatis perversè sentiunt, qui credunt illos postquam justi semel facti sunt, in peccatum non posse incidere, aut si fortè quicquam eorum faciunt quæ Dei legibus prohibentur, ea Deum pro peccatis non accipere. Quibus opinione contrarii, sed impietate pares sunt, qui quodcunque peccatum mortale quod post baptismum à nobis susceptum voluntate nostra committitur, illud omne contra Spiritumsanctum affirmant gestum esse, & remitti non posse.

¶ *De Missis & Purgatorio.* Cap. 10.

QUorundam nimis est curiosa perversitas, qui veniam quidem peccatorũ expectant, sed hanc morte *Christi* per solam fidem ad nos accommodatam plenè non credũt, & omnibus partibus impleri: quapropter alia conquirunt sacrificia, quibus perpurgari possint, & ad hanc rem Missas exhibent in quibus sacrificium Deo Patri credunt oblatum esse, nimirum corpus & sanguinem Domini nostri *Iesu Christi* verè, quomodocq; illi dicunt, realiter ad veniam peccatorum impetrandam, & salutem tam mortuorum quam vivorum procurandam, quibus etiam Regium tam latum dant, ut illis aliquando minui, nonnunquam omnino tolli Purgatorii tormenta statuant. Qua in re Sacrificium illud unicum (quod *Christus* Dei filius in cruce Deo patri repræsentavit & plenissimè exhibuit) largiter imminuunt, & sacerdotium quod unius Christi proprium est, ad miserabilem hominum conditionem devolvunt. Verũ sacræ Scripturæ solam Christi mortem nobis & delictorum purgationem reservant, nec ullum ponunt aliud Sacrificiũ quod ad hanc rem valere possit, imò de Purgatorio sanè ipsorum ne una quidem Syllaba sacris in Scripturis invenitur.

¶ *De*

¶ *De incredulorum & impiorum damnatione.* Cap. 11.

HOrriblis est & inanis illorum audacia, qui contendunt in omni Religione vel secta quam homines professi fuerint, salutem illis esse sperandam, si tantum ad innocentiam & integritatem vitæ pro viribus enitantur juxta lumen quod illis prælucet à natura infusum, Authoritate vero sacrarum literarum confixæ sunt hujusmodi pestes. Solum enim & unicum ibi *Iesu Christi* nomen nobis commendatum est, ut omnis ex eo salus ad nos perveniat. Nec minor est illorum amentia, qui periculosam *Origenis* hæresim in hac ætate nostra rursus excitant, nimirum omnes homines (quantumcunque sceleribus se contaminaverint) salutem ad extremum consequuturos, cùm definito tempore à justitia divina pœnas de admissis flagitiis luerint: Sed sacra Sriptura damnatos sæpe pronunciat in perpetuos cruciatus & æternas flammas præcipitari.

¶ *De Animarum interitu vel somno, & de Resurrectione.* Cap. 12.

QUidam impiè philosophantur Animas hominum ex hac vita migrantium, quando semel ex corporibus excesserunt, usque ad supremum ultimi Judicii tempus, vel somno involvi, vel prorsus ad nihilum recidere, tum autem cum extremi judicii dies erit, illas rursus vel è somno excitari, vel cũ proprijs corporibus ab interitu resurgere. Affinis est iis error de resurrectione quam multi (cum *Hymenæo* consentientes & *Phileto*) perfectam jam esse dicunt & conclusam, quia solum debet ad Animum referri quem Christus (affusa nobis beneficio suæ mortis gratia) prorsus ex morte peccatorum excitavit. Sed hæc illorum abrupta est, & curta doctrina. Quemadmodum enim ipse *Iesus*

Christus à morte ad vitam corpore integro, vero & perfecto revocatus est, nec ejus interim animus aut interiit, aut dormivit: Ita nos, qui membra sumus Christi, post mortem quidē animo vivimus; caput vero nostrū sequuti, cū animis & corporibus ad extremū illud judicium consurgemus.

¶ *De Magistratibus.* Cap. 13.

QUin & Anabaptistarum profligendus agrestis stupor, qui negant licere Christianis Magistratum gerere, quasi propterea Christus in terras descenderit, ut rerum publicarum administrationes aboleret. Imo vero Spiritus sanctus statuit Principes & Magistratus esse Dei ministros, ut benefactis favorem suum impartiant, & maleficia suppliciis constringant; quæ duo si rebus humanis abessent, maxima sequeretur omnium rerum confusio.

¶ *De communitate bonorum, & uxorum.* Cap. 14.

EXcludatur etiam ab eisdem Anabaptistis inducta bonorum, & possessionum communitas, quam tantopere urgent, ut nemini quicquam relinquant proprium & suū: In quo mirabiliter loquuntur, cum furta prohiberi divina Scriptura cernant, & Eleemosynas in utroque testamento laudari videant, quas ex propriis facultatibus nostris elargimur, quorum sanè neutrum consistere posset, nisi Christianis proprietas bonorum & possessionum suarum relinqueretur. Emergunt etiam ex Anabaptistarum lacunis quidam Nicolaitæ inquinatissimi sanè homines, qui fœminarum, imò & uxorum disputant usum per omnes promiscuè pervagari debere. Quæ fœda illorum & conscelerata libido, Primum pietati contraria est & sacris literis; deinde cum universa civili honestate, & naturali illa incorruptaque in mentibus nostris accensa luce vehementer pugnat.

¶ De

¶ *De Juramentis & participatione Dominicæ Cœnæ.* Cap. 15.

PRæterea nec Juramentorum Anabaptistæ legitimum relinquũt usum, in quo contra Scripturarum sententiã & Veteris Testamenti, patrum exempla, *Pauli* etiam Apostoli, imo Christi, imo Dei Patris procedunt, quorum Juramenta sæpe sunt in sacris literis repetita, deinde ab Ecclesiæ corpore seipsos segregant, & ad sacrosanctam Domini mensam cum aliis recusant accedere, seque dicunt detineri vel ministrorum improbitate, vel aliorum fratrum; quasi priùs excommunicatio possit in quoquam intelligi, quàm Ecclesiam sententiam excommunicationis contra illum direxerit, in qua pronunciatur illum non secùs vitandum quàm Ethnicum & publicanum.

¶ *De Ministris & Ordinibus.* Cap. 16

SImilis est illorum amentia, qui institutionem ministrorum ab Ecclesia disjungunt, negantes in certis locis certos doctores, pastores, atque ministros collocari debere, nec admittunt legitimas vocationes, nec solennem manuum impositionem, sed per omnes publicè docendi potestatem divulgant, qui sacris literis utcunque sunt aspersi, & Spiritum sibi vendicant, nec illos solum adhibent ad docendum, sed etiam ad moderandam Ecclesiam, & distribuenda Sacramenta; quæ sanè universa cum scriptis Apostolorum manifestè pugnant.

¶ *De Sacramentorum natura.* Cap. 14.

MAgna quoque temeritas illorum est, qui Sacramenta sic extenuãt, ut ea pro nudis signis, & externis tantũ indiciis capi velint, quibus tanquam notis hominum Christia-

stianorum religio possit à cæteris internosci, nec animadvertunt quantū sit scelus, hæc sancta instituta, inania & vacua reddere. Quæ cum inter nos dispertiuntur, ut divini spiritus fides confirmetur, erigitur conscientia, promissio etiam veniæ peccatorum per Christum facta intrinsecus exhibetur, extrinsecus vero istis Sacramentis quasi Sigillo quodam consignatur. Præterea verbo Dei quod intercedit & Symbolorum adhibitorum naturis eruditiuntur fideles de pretio nostræ redemptionis per Christum comparatæ, Spiritus sanctus & gratia in mentibus fidelium ulterius instillatur, tum etiam fœdus quod per Christum inter Deum & nos ictum est, corroboratur, ut nobis ille proprius sit Deus, nos illi peculiaris populus; & astringimus nos ipsos ad peccatorum abolitionem, & integritatem vitæ suscipiendam. Quæ si rectè ponderentur, necesse est ut obmutescat illorum calumnia, qui Sacramentorum inopem volunt, & nudam naturam relinquere.

¶ *De Baptismo.* Cap. 18.

DEinde crudelis illorum impietas in Baptismū irruit, quem infantibus impartiri nolunt, sed omnino nulla ratione. Nec enim minùs ad Deum & Ecclesiam pertinent Christianorum infantes, quàm liberi quōdam Hebreorum pertinebāt, quibus in infantia cū circumcisio adhiberetur, nostris etiā infantibus debet baptismus admoveri, quoniā ejusdem promissionis & fœderis divini participes sunt, & à Christo sunt etiam summa cum humanitate susceptī. Plures item ab aliis cumulantur errores in baptismo, quem aliqui sic attoniti spectant, ut ab ipso illo externo credant elemento Spiritum sanctum emergere, vimq; ejus, nomen, & virtutem ex qua recreamur, & gratiam & reliqua ex eo proficiscentia dona in ipsis baptismi fonticulis innatare. In

summa

ſumma totam regenerationem noſtram illi ſacro puteo deberi volunt, qui in ſenſus noſtros incurrit. Verùm ſalus animarum, inſtauratio ſpiritus, & beneficium adoptionis, quo nos Deus pro filiis agnoſcit, à miſericordia divina per Chriſtum ad nos dimanante, tùm etiam ex promiſſione ſacris in Scripturis apparente proveniunt. Illorum etiam impia videri debet ſcrupuloſa ſuperſtitio, qui Dei gratiam, & ſpiritum ſanctum tantopere cum Sacramentorum elementis colligant, ut planè affirment nullum Chriſtianorum infantem æternam ſalutem eſſe conſequuturum, qui prius à morte fuerit occupatus, quàm ad Baptiſmum adduci potuerit: quod longè ſecus habere judicamus. Salus enim illis ſolùm adimitur, qui ſacrum hunc Baptiſmi fontem contemnunt, aut ſuperbia quadam ab eo, vel contumacia reſiliunt: quæ importunitas cùm in puerorum ætatem non cadat, nihil contra ſalutem illorum authoritate Scripturarum decerni poteſt; immo contrà, cùm illos communis promiſſio pueros in ſe compræhendat, optima nobis ſpes de illorum ſalute concipienda eſt.

¶ *De tranſubſtantiatione in Euchariſtia, & impanatione, ut vocant, corporis Chriſti.* Cap. 19.

OBrepſit etiam in Euchariſtia periculoſiſſimus error eorũ qui docent, concionantur, & contendunt, virtute certorũ verborum quæ miniſter ad Symbola hujus Sacramenti inſuſurrat, panem converti vel (ut ipſi loquuntur) tranſubſtantiari in Chriſti corpus, & itidem vinum in ſanguinem: quod ſanè dogma, quoniam ſacris literis adverſatur, à natura Sacramenti diſcrepat, & verum Chriſti corpus ita depravat, ut vel divinam in illud inducat naturam omnibus locis diffuſam, vel ex eo ſpectrum aut machinã quan-

dã comminiscatur. Totum hoc Papisticæ fæcis somnium auferri volumus, & naturã veram panis & vini in Eucharistia remanentẽ planè agnosci, quomodo Spiritus Sãctus apertis verbis attestatur. Itáq; nec in altũ tolli Sacramentũ hoc, nec circumferri per agros patimur, nec cõservari in crastinũ, nec adorari, deniq; nullã relinquimus majorẽ Eucharistiæ venerationẽ, quàm Baptismi & verbi Dei: Symbola vero panis & vini, nisi pium & institutum à Scripturis usum communicationis retineant, non majorem æstimationem habere volumus, quàm panis & vinum habent quæ quotidie inter nos in usũ habentur. In eodem luto hærent, qui panis & vini substantiam in Eucharistia ponunt, sed vi consecrationis per ministrũ appositæ, corpus & sanguinem Christi verum & naturalem adjungi putant, & cum Symbolorum naturis permisceri, & subter eas subjici, usq; adeo, ut sive pii sint sive impii, qui ad Domini mẽsam se admovent, verum & naturale Christi corpus, & expressum ejus sanguinem unà cum pane & vino sumant. Verum Symbola Sacramentorũ, quoniam res quas significant non intra se clausas realiter & substantialiter (ut loquuntur) continent; deinde cùm sacris Scripturis determinatum sit, Christum suam in cœlum humanam naturam invexisse, nec cum illa sit in terras ante tempus extremi judicii descensurus. Præterea cùm hæc commentitia naturalis corporis Christi præsentia nullum habeat majus momentum ad ædificationem nostræ Religionis, quàm hæc Christi præsentia quæ fide percipitur, imo multas secum afferat quæstiones inexplicabiles, ac assertiones falsas & portentosas; absurdam hanc doctrinam, qua Christi corpus & sanguis naturaliter & substantialiter (ut illi loquuntur) ad Eucharistiam adrepunt, & in ea includuntur, prorsus aboleri volumus: peregrinum enim est, & alienum à sacris literis

ris; deinde, contrarium humanæ naturæ veritati, quam Christus assumpsit; & à conditione Sacramentorum longè dissidens; postremò, communis quædã sentina superstitionum multarum in Ecclesiam Dei comportatarum.

¶ *De Matrimonio.* Cap. 20.

JAm inde à primis Ecclesiæ temporibus magna fuit hæreticorum turba, quæ Matrimonium aversabatur ut fædam rem & inquinatam, & vel funditus è cœtu fidelium auferebant, vel, si semel imbecillitati nostræ permitteretur, tamen illud nullo modo repetendum esse putabant: quorum sententia, quoniam à regula pietatis, quæ sacris in literis lucet, vehementer abhorrebat, Ecclesiæ censura veteri jam olim explosa est. Sed diabolus pro hac impietate aliam subjecit, nimirum ut omnes qui solitariam vitam profiterentur, aut ad Ecclesiæ administrationem aggregarentur, Matrimonii contrahendi facultatem in omne tempus amitterẽt. Quod eorum iniquum institutum, quoniam pugnat cum sacris Scripturis, aboleri penitùs, & pro nullo volumus haberi.

¶ *De Romana Ecclesia, & potestate Romani pontificis.* Cap. 21.

ETiam illorum insania legum vinculis est constringẽda, qui Romanam Ecclesiam in hujusmodi petra fundatã esse existimant, ut nec erraverit, nec errare possit, cum & multi possint ejus errores ex superiore majorum memoria repeti, & etiam ex hac nostra proferri, partim in his quibus vita nostra debet informari, partim etiam in his quibus fides debet institui. Quapropter illorum etiam intolerabilis est error, qui totius Christiani orbis universam Ecclesiam solius Episcopi Romani principatu contineri volunt. Nos enim eam, quæ cerni potest, Ecclesiam sic

definimus, ut omnium cœtus sit fidelium hominum, in quo sacra Scriptura sincerè docetur, & Sacramenta (saltem his eorum partibus quæ necessariæ sunt) juxta Christi præscriptum administrantur.

¶ *De Prædestinatione.* Cap. 22.

AD extremum, in Ecclesia multi feris & dissolutis moribus vivunt, qui cùm re ipsa curiosi sint, differti luxu, & à Christi spiritu prorsus alieni, semper prædestinationem, & rejectionem, vel, ut usitatè loquuntur, reprobationẽ in sermone jactant, ut, cùm æterno consilio Deus vel de salute, vel de interitu aliquid certi constituerit, inde latebram suis maleficiis, & sceleribus, & omnis generis perversitati quærant. Et cùm pastores dissipatã illorum & flagitiosam vitam coarguunt, in voluntatem Dei criminum suorum culpam conferunt, & hac defensione profligatas admonitorum repræhensiones existimant, ac ita tandem, duce diabolo, vel in desperationem præsentem abjiciuntur præcipites, vel ad solutam quandam, & mollem vitæ securitatem, sine aut pœnitentia, aut scelerum conscientia dilabuntur. Quæ duo mala disparem naturam, sed finem videntur eundem habere. Nos verò sacris Scripturis eruditi, talẽ in hac re doctrinam ponimus, quod diligens, & accurata cogitatio, de prædestinatione nostra, & electione suscepta sit (de quibus Dei voluntate determinatũ fuit antequã mundi fundamenta jacerentur.) Hæc itaq; diligens, & seria, quam diximus, his de Rebus cogitatio, piorum hominum animos spiritu Christi afflatos, & carnis & membrorum subjectionem præsentes, & ad cœlestia sursum tendẽtes, dulcissima quadã, & jucũdissima cõsolatione permulcet, quoniã fidem nostrã de perpetua salute per Christũ ad nos perventura confirmat, vehementissimas charitatis in

Deum

Deũ flãmas accendit, mirabiliter ad gratias agendas exuscitat, ad bona nos opera propinquissimè adducit, & à peccatis longissimè abducit, quoniam à Deo sumus electi, & filii ejus instituti: quæ singularis & eximia conditio summã à nobis salubritatem morum, & excellentissimã virtutis perfectionem requirit. Denique nobis arrogantiam minuit, ne viribus nostris geri credamus, quæ gratuita Dei beneficentia, & infinita bonitate indulgentur. Præterea neminẽ ex hoc loco purgationem censemus vitiorũ suorum afferre posse, quia Deus nihil ulla in re injustè cõstituit, nec ad peccata voluntates nostras unquam invitas trudit. Quapropter omnes nobis admonendi sunt, ut in actionibus suscipiendis ad decreta prædestinationis se non referãt, sed universam vitæ suæ rationem ad Dei leges accommodent, cum & promissiones bonis, & minas malis, in sacris Scripturis generaliter propositas contemplentur. Debemus enim ad Dei cultum viis illis ingredi, & in illa Dei voluntate commorari, quam in sacris Scripturis patefactam esse videmus.

¶ *Epilogus.*

POsset magna colluvies aliarum hæresium accumulari, sed hoc tempore illas nominare solùm voluimus, quæ potissimum hisce nostris temporibus per Ecclesiam diffunduntur; fideles omnes in nomine Dei, & Domini nostri Jesu Christi obtestantes, ut ab his opinionibus pestilentissimis se longissimè abducant; & ab illis etiam vehementer contendimus, qui rem publicam & Ecclesiam administrant, ut istas hæreses ex Regno nostro penitùs evellendas, & radicitùs extirpandas (quantum in se est) curent.

DE JUDICIIS CONTRA HÆRESES.

¶ *Sub quibus Judicibus cognoscatur de hæresi.* Cap. 1.

IUdicium de hæresibus informatur quatuor rationibus; inquisitione, vel accusatione, vel Evangelica denunciatione, vel exceptione. Is qui vel accusatione, vel inquisitione, vel Evangelica denuciatione reus fit, quòd aliquam hæresin, aut affirmaverit, aut defenderit, aut prædicaverit, aut docuerit, coram Episcopo vel Archiepiscopo causam dicet: Qui verò loci privilegiũ habent, & exempti dicuntur, apud illos vel Episcopos vel Archiepiscopos causam dicent, intra quorũ diœceses illorum exempti loci cõstiterint. Appellatio tamen reo conceditur, ab Episcopo ad Archiepiscopum, & ab Archiepiscopo nostram ad Regalem personam.

¶ *Modus procedendi contra hæreticos.* Cap. 2.

PRimùm autem crimen hæresis, quoties per inquisitionem intentatur, sive fama plenè contra reum cõprobata fuerit, sive reus in eo nullam exceptionẽ opposuerit, quantumcunq; postea negaverit illos ad se articulos pertinere, tamen nisi fidejussores idoneos exhibeat, quòd juri stare velit, tantisper in carcere potest ab Episcopo detineri, donec lis ad finem pervenerit. Si verò de errore cõfiteatur, & dicat se ab eo paratum esse decedere, dimittendus erit; hac tamen adhibita cautione, ut si quos vel sermone vel doctrina offenderit, aut corruperit, illis Ordinarii arbitratu satisfaciat, ne contagio serpat erroris, & foras ad multitudinem

dinem emanet. Præterea, qui propter crimen hæreſis in judicium à legitimo judice vocatus fuerit, ſi negligat, & animi contumacia non adfuerit in tempore; Primùm in pœnã excommunicationis incurrat; deinde, quamprimùm inveſtigari potuerit ab ordinario, & præhendi, conjiciatur in carcerẽ, donec locupletes interpoſuerit fidejuſſores, quòd juri ſtare velit. Cum vero crimen hæreſis per inquiſitionẽ, aut Evangelicã denuntiationẽ procedit, ſummatim tractatur, ſine ſolemni rerum ad judicia pertinentium apparatu.

¶ *De Hæreticis Reſipiſcentibus.* Cap. 3.

CUmq; omnia fuerint in utramq; partem in judicio diſputata, ſive reus fuerit convictus, ſive crimen ipſe cõfiteatur, Primùm admonendus eſt ut ab errore deſiſtat; quod ſi facturũ ſe ſpoponderit, juramento ſe ad id aſtringet; deinde pœnitentiæ fructus edet, & ita demùm dimittetur. Hoc tãmen proviſo, fratrũ ut offenſioni (ſi quæ fuerit) quantum in ſe eſt, medeatur, & quibus in locis errorem priùs diſſeminavit, in eiſdem publicè fateatur ſe in hæreſi verſatum eſſe. Quod ſi ſuam ad hæreſin pertinaciter adhæſerit, amandetur aliquandiu ad homines ſcientia præditos, qui illum in viam revocare poſſint. Et ſi illorum perſuaſu ſententia decedat, juramento interpoſito, quòd hæreſin velit relinquere, liberari poteſt, illa ſemper repetita conditione quam antè poſuimus, nimirum ut pœnitentiæ certa ſigna det, ac contraria doctrina fratres in illis locis erudiat, in quibus eos priùs hæreſi contaminaverat.

¶ *De contumacibus hæreticis.* Cap. 4.

QUi verò nec admonitionem, nec doctrinã ulla ratione admittunt, ſed in hæreſi prorſus induraverũt, Primũ hæretici pronuncientur, à judice deinde legitimo feriantur

tur excommunicationis supplicio. Quæ sententia cum lata fuerit, si infra spatium sexdecim dierum ab hæresi recesserint, primùm exhibeant publicè manifesta pœnitentiæ indicia; deinde solemniter jurent in illa se nunquam hæresi rursus versaturos; tertiò contraria doctrina publicè satisfaciant, ac his omnibus impletis absolvantur; sed illis seria priùs & vehemens adhibeatur exhortatio, ut post illud tempus, cùm à præsenti errore, tùm etiam ab omnibus aliis hæresibus se longissimè disjungant: cum verò sic penitus insederit error, & tam altè radices egerit, ut nec sententiâ quidem excommunicationis ad veritatem reus inflecti possit, tum, consumptis omnibus aliis remediis, ad extremum ad civiles Magistratus ablegetur puniendus.

¶ *De his qui abjurant hæresin.* Cap. 5.

QUi vero juramento se obligaverit ad repudiandâ hæresin, primùm profiteri debet, se ab hac hæresi separatim abhorrere, de qua præsens tractatio fit; deinde contrariam opinionem publicè affirmabit, & apertè testificabitur se tota ea in re hoc sequi, & firmè tenere, quod sancta, & universa Dei Ecclesia sacrarum Scripturarum authoritate sequitur & tenet, nec in hæresin, à qua jam destiterit, unquam rursus ullo modo relapsurum.

¶ *Hæresis quomodo probari debeat.* Cap. 6.

ET quoniam crimen hæresis magnam atrocitatem, & summam contumeliâ habet, solâ famâ plenè convinci non potest, nec aliis ejus generis semiplenis, (ut lex vocat) & curtis probationibus; sed tamen hæc ipsa tantam vim habent, ut reo necessitatem afferant se purgandi: quæ sanè purgatio, si ritè non possit ab eo impleri, condemnari reum

reum in eo ipso statui oportet.

¶ *Judicum iniquitas quomodo punienda.* Cap. 7.

QUemadmodũ hæreses ex Regno nostro prorsus (quãtum fieri potest) excludendæ sunt, summoperè cavendũ est, ne quisquam in periculũ tàm horribilis & invidiosi criminis sine justa causa vocetur. Itáq; si judex, sivè quòd oderit quempiam, sive pecuniam ut eliciat, aut ut illi molestiam exhibeat, iniquè litem hanc hæresis intenderit, & in eo judicis culpa legitimis probationibus cõstiterit, arbitrio superioris Judicis Supplicium de eo sumetur.

¶ *Quomodo ferenda sententia sit, & quomodo interrogandi Testes.* Cap. 8.

CUm hæresis crimen cognoscetur, Judices inferenda sententia Theologorũ & jure consultorũ aliquot utentur consilio, qui prius omnia causæ acta diligenter perscrutati fuerint. Et testes qui adhibebuntur, ab ipsis Judicibus interrogari par est, nisi fortè morbus, aut aliqua justa causa judices impediverint. Qui si ipsi fortè impediuntur, duos substituant pro se viros honestos, quibus hoc Testimoniorum interrogandorum munus tuto commiti possit.

¶ *Cum lis in hæresis causa pendet, & reus fugerit, quid sit faciendum.* Cap. 9.

SI lis in hæresis controversia pendeat, & interim reus in alium locũ dilabatur, ubi prior judex in jure dicẽdo pergere nequeat, postulabit judex, aut à Vicecomite, aut præfecto oppidi (quem Majorem vocant) illius loci in quo reus versatur, ut sibi reum & proprio foro restituendum curet, Vicecomes autem, sive Major, cum judicis sententiã intel-

lexerit, in literis judicis perſcriptam,& ejus ſigno communitam, ſtatim providebit ut reus apppræhendatur, eumq; ad proprium judicẽ relegabit. Quod ſi Vicecomes, aut Major facere neglexerit, in eo ipſo, quòd neglexit, protinus excõmunicatus, & ab Eccleſia ſeparatus eſſe judicabitur.

¶ *De his qui confeſſi, aut victi ſint, quid ſtatuendum ſit.* Cap. 10.

QUI de crimine fuerit hæreſis cõfeſſus, aut qui ſic convictus fuerit, ut ſententia judicis contra illũ proceſſerit, & pronunciata fuerit, ſi nec appellaverit, nec intra tempus appellationi conceſſum reſipuerit, & arbitratu ſui judicis pro crimine ſatisfecerit, ex illo tempore ſit hac ipſa contumacia factus infamis; nec ad officia publica gerenda, nec ad conſilia, nec ad teſtimoniũ dicendum, ullo tempore aſſumatur, imò nec Teſtamentũ illi condere fas erit; præterea, quodcunq; negotium illi cũ aliis intercefferit, ipſe quidem omnibus, illi verò nullus cogatur in judicio reſpondere. Crimen enim hæreſis publicum eſſe ſtatuimus, quoniam Dei Religio communis inter omnes cùm violatur, in eo publicè videtur omnibus injuria fieri.

¶ *De Miniſtris Eccleſiæ Reſipiſcentibus.* Cap. 11.

SI contingat Eccleſiæ miniſtros hæreſis eſſe reos, & ſi in eadẽ convicti ſententiam paſſi fuerint, & pòſt deponant errorem, & reſipiſcant, tamen communi jure ſuam ad priorem adminiſtrationem Eccleſiæ non redibunt, quoniã Eccleſiæ miniſtros integra fama eſſe oportet, non ſolùm apud domeſticos, & ſuos, verùm etiam externos. Quod licèt jure communi ſic procedere debeat, tamen ſi hujuſmodi tẽpora inciderint, ut Eccleſia bonis miniſtris admodum denuda-

ta

ta ſit, aut quietis & concordiæ cauſa id requirat, Eccleſiaſtico judici id permittimus, ut quos verè ſuorum errorũ pœnituerit, ſuos ad gradus & Officia redire ſinat, ut ita neceſſitatibus Eccleſiarum ſuccurri poſſit, neq; pax impediatur: in quo tamen hoc tenere volumus, ut ad ampliorem in Eccleſia locum quàm prius habuerint nunquam aſcendant, niſi ſumma neceſſitas urſerit, cui non poſſit ulla alia ratione occurri.

DE BLASPHEMIA.

¶ *Quibus in rebus verſetur Blaſphemia.* Cap. 1.

EX omni peccatorum genere nullum eſſe horribilius, nec in quo Dominus Deus noſter vehementiùs indignatur, aut majore afficitur contumelia, nec in quod acerbum ultionis telum citiùs intorquet, quàm illud blaſphemiæ ſcelus; quandò vel ſuperbiſſimo contemptus propoſito Deum averſantes, vel ferveſcente furoris impetu contra illum elati, convicium vel in illum, vel in illa quæ ad ejus divinam majeſtatem pertinent, evomimus: & hæc eſt inter blaſphemiam & hæreſin differentia, quòd blaſphemia contemptu contumelias in Deum projicit, & iracundia, ſed hæreſis errore falſas opiniones ſuſcipit, & inſcienter.

¶ *Quomodo puniendæ ſit blaſphemia.* Cap. 2.

SIt igitur hoc à nobis conſtitutum, ut hæc execrabilis blaſphemiarum impietas, quàm primùm de ea ritè conſtiterit ab Epiſcopis, nulla ratione tolleretur, ſed eodem

ſupplicio confixa ſit, quo pertinax hæreticorum inſania plectitur. Nec immeritò, cùm ira Dei contra hunc blaſphemiæ furorem ſic priſcis temporibus exarſit, ut ad opprimendum, & obruendum hujus criminis reum, populorum, & integræ multitudinis concurſus eſſe voluerit, ut ſic, publica lapidatione facta, contereretur. Et ipſe Deus invectas à ſe publicas ſæpe calamitates atteſtatur, ut in illis blaſphemiæ flagitium ulciſceretur.

DE SACRAMENTIS.

¶ *Quid ſit Sacramentum.* Cap. 1.

SAcramentum (quomodo nos illud in hoc loco capimus) ſignum eſt inſtitutum à Deo quod videri poteſt, quo gratia Chriſti promiſſis & meritis ad nos profecta, condonatióque peccatorũ ipſis remiſſorum expreſſa conſignatur, quod duplicem in animis noſtris vim habet. Primùm enim horum externorum ſumptio, & attributarum illis propriè virtutum nobis recuperatæ ſalutis noſtræ pretium in memoriam revocat, & id, ut apertè profiteamur, efficit, deinde fidem acuit, & exuſcitat, & illi robur addit. Præterea charitate nos mutua conſerit, & in mentibus noſtris Dei timorem diffundit. Poſtremo vitam ad ſinceram & integram extimulat. Ex hoc genere circumciſio priſcis temporibus erat. Nunc baptiſmus, & Euchariſtia ſucceſſerunt.

¶ *Quid in Sacramento quærendum ſit.* Cap. 2.

AD Sacramenti perfectionẽ tria concurrere debent. Primum evidens eſt & illuſtris nota quæ manifeſtè cerni poſſit.

possit. Secundum est Dei promissum, quod externo signo nobis repræsentatur, & planè confirmatur. Tertium est Dei præceptum, quo necessitas nobis imponitur, ista partim faciendi, partim commemorandi: quæ tria, cum authoritate Scripturarum in Baptismo solùm occurrant, & Eucharistia, nos hæc duo sola pro veris & propriis novi Testamenti Sacramentis ponimus.

¶ *Quid sit Baptismus.* Cap. 3.

BAptismus est Sacramentū, quo secunda generatio nostra nobis externa consignatur conspersione, veniaq; peccatorum indulgetur, & Spiritus sancti virtus infunditur, quemadmodū verbis comprehensum est in Baptismo propositis, ut erectior in nobis & perfectior esset fides. Dū autem in aquas demergimur, & rursus ex illis emergimus, Christi mors primùm & sepultura commendatur; deinde suscitatio quidem illius, & reditus ad vitam, ut istius mortis & vitæ monumentis recordemur, & palàm testificemur peccatum in nobis mortuum & sepultum jacere, sed novum & salutarem Dei spiritum revivisscere in nobis, & refloresscere; tinctoq; foràs externis aquis corpore, nostras intùs animas, absterſis peccatorum sordibus, puras & perpurgatas ad æternas & cœlestes oras se attollere.

¶ *Quid sit Eucharistia, quos fructus habeat.* Cap. 4.

EUcharistia Sacramentū est, in quo cibum ex pane sumūt, & potū ex vino, qui convivæ sedent in sacra Domini mensa: cujus panis inter illos & vini communicatione obsignatur gratia Spiritus sancti, veniaq; peccatorū ad quam ex eo perveniunt, quod fide comprehendunt & percipiūt, Christi sacrosanctum corpus respectu nostræ salutis

ad crucē fixum, & cruorē pro tollendis fusum nostris peccatis, ut Dei promissa palàm ipsa loquuntur. Deinde etiam his illustribus signis, quæ coràm cerni possint, instruuntur, & ad confitendum adducuntur, quòd Christus illos enutriat, & in illis remaneat; & ipsi vicissim in Christo collocati sint. Præterea discunt summam debere esse suam cum cæteris fidelibus viris omnium officiorum conjunctionem, quoniam omnes membra sunt ad unum & idē Christi corpus agglutinata. Cum autem ad hæc omnia nec transubstantiatione opus sit, nec illa, quam fingere solebant, reali præsentia Christi; sed quidem potiùs hæc curiosa hominum inventa sint: Primùm contra naturam humanam à filio Dei nostra causa sumptam; deinde cum Scripturis divinis pugnent, & præterea cum universa Sacramentorum ratione confligant, ista tanquam frivola somnia meritò desecanda curavimus, & oblivione obruenda; præsertim cùm magnum ex illis, & pernicioſum agmen superstitionum in Ecclesiam Dei importatum fuerit.

¶ *Qui sunt admittendi ad mensam Domini.* Cap. 5.

NEminem ad mensam Domini volumus admitti, donec fidem in Ecclesia professus fuerit.

¶ *Impositionem manuum esse retinendam.* Cap. 6.

IN præficiendis Ecclesiarum Ministris (quales sunt Diaconi, Presbyteri, & Episcopi) ceremoniam manuum imponendarum retineri placet, quoniam illius in sacris Scripturis mentio sit, & perpetuum habuerit usum in Ecclesia.

¶ *Nuptias solemniter celebrandas esse.* Cap. 7.

NUptiarum solemnes ritus in oculis omnis Ecclesiæ summa cum gravitate & fide collocari statuimus; quibus

quibus si quicquam absit eorum quæ nos nullis sancimus, pro nullis statim haberi placet.

¶ *Quo tempore confirmatio esse debet.* Cap. 8.

EPiscopis nostris damus jus illos confirmandi qui Catechismum didicerint, quod in his temporibus nostris præcipuè fieri debet, in quibus infantes baptizati suam ipsi fidem ac voluntatem adhuc profiteri non possunt. Itaque confirmationis eorum tempus hanc ad rem aptissimum erit.

¶ *Pastores visitare debent afflictos.* Cap. 9.

PAstores Ecclesiarum debiles, afflictos, & ægros diligenter visitent, & precibus illos ac solationibus, quantùm possunt, in difficillimis illorum, & periculosissimis temporibus sustentent.

¶ *Quomodo sit in his procedendum.* Cap. 10.

HOrum formulas universorum officiorum inclusimus in unum librum, qui de ceremoniis propriè tractat Ecclesiarum nostrarum: ex eo volumus rerum administrationem singularem depromi.

DE IDOLOLATRIA, ET ALIIS HUJUSMODI CRIMINIBUS.

¶ *Quæ vitia vitanda sunt in Ecclesia.* Cap. 1.

DEvitentur prorsus & exterminentur Idolorum cultus, magia, divinatio, sortilegium, & superstitiones: quibus se criminibus si quisquam contaminaverit, arbitratu judicum Ecclesiasticorum

sticorũ pœnas det; quas si repudiaverit, ejiciatur excommunicationis fulmine ex Ecclesia: à quibus ut faciliùs nos abstineamus, singula separatim per se collocata definiemus.

¶ *Quid Idolorum cultus sit.* Cap. 2.

IDololatria, quomodo vulgò loquimur, cultus quidem est, in quo non creator, sed creatura, vel hominis aliquod inventum adoratur.

¶ *Quid Magia sit.* Cap. 3.

MAgia pactum est, vel fœdus cum diabolo percussum, & ejus ministris, carminibus, precibus, characteribus, vel similibus impietatis instrumentis conflatum, quod vel ad futurorum casuum investigationem refertur, vel ad certarum rerum, quas expetimus, conquæstionem.

¶ *Quid divinatio sit.* Cap. 4.

DIvinatio rerum est secretarum prænuntiatio, mali cujusdam impii spiritus instinctu proveniens, & ex auguriis coagmentatur, auspiciis, & ominibus, & reliqua hujusmodi prava levitate: quam in reprehensionem illorum etiam incidit curiosum ingenium, qui specie figurarũ Astrologiæ præceptis delimatarum, ut videri volunt, rerum, vel furto, vel alia ratione quacunq; summotarum, deinde etiam actionum in omni vita susceptarum vias & eventus se scire profitentur.

¶ *Quid sortilegium sit.* Cap. 5.

SOrtilegium intelligitur cum per sortes cujuscunq; generis abditæ res patefactæ sunt, vel futurus præsentium factorum aliquis finis persignificatur.

¶ *Quid superstitio sit.* Cap. 6.

SUperstitio cultus est ad Deum relatus, immenso quodam proficiscens humano studio, vel animi certa propen-

penſione, quam vulgò bonam intentionem vocant, & ortum ſemper habet ex hominis ingenio ſeparatim ſine Scripturarum divinarum authoritate.

¶ *Paſtoris in his criminibus officium.* Cap. 7

PAſtores diligenter populum commonefaciant, ut ab his flagitiis, tanquam graviſſimis quibuſdam Chriſtianæ fidei peſtibus, ſe longiſſimè abducant, nec ullo reſpectu quarumcunque rerum (ſive lucrum, exempli cauſa, ſit, ſive voluptas, ſive ſit honor aut ſanitas, aut rerum abſtruſarum intelligentia, ſive quiſquam alius in animis obſtrepat, aut tumultuetur pravus affectus) unquàm hujuſmodi impulſu vitioſorum motuum diaboli vinculis ſe teneri patiantur, & ſuaviſſima Chriſtiana libertate deſiſtere.

¶ *Qui propter hæc crimina puniendi ſint.* Cap. 8.

POenas autem graviſſimas non ſolùm illis denuntiamus qui curioſis utuntur, & peſtiferis artibus, verumetiam illis qui tam ſceleratos artifices de rebus ſuis interrogant, vel illorum ullam operam, quacunque ratione, ſuas ad cauſas accomodant.

¶ *Damnum his artibus datum eſſe compenſandum.* Cap. 9.

SI quiſquam ſceleratis iſtorum artibus damnum ullum in frumento, fructibus, ædificiis, pecoribus, aut quibuſcunque bonis ſuis acceperit, id univerſum pleniſſimè cogantur reſtituere.

DE CONCIONATORIBUS.

¶ *Concionandi munus quale sit, & quomodo suscipi debeat.* Cap. 1.

QUoniam concionandi munus populo Dei maximè necessariũ est, Ecclesia nunquam destitui debet. Illud tamen diligentissimè providendum est, nè quisquam ad officium tam præclarum assumatur, nisi pietatem ad illum locum, & convenientem doctrinam secum adferat. Quod ut meliùs sciri possit, præsulum authoritatem ad concionatores in Ecclesiis disponendis intercedere volumus. Nec ulli permittimus ut hoc concionandi munus suscipiat, aut in eo se ipse collocet, nisi legitima potestate eorum, quorum interest, fuerit ad illud advocatus. In quo tantam Episcoporum diligentiam esse volumus, ut temerè non omnes adsciscant, quicunque se spiritu Dei jactant afflatos, sed illorum vitam & eruditionem considerent & perpendant, ut ex eo cognosci possit an illorum spiritus à Deo proficiscantur.

¶ *Concionatoribus errores esse cavendos, & errorum libros.* Cap. 2

QUibus vero concionandi potestas conceditur, hi vehementer advigilare debent, ne vel errores disseminent in Ecclesia, vel inutiles quæstiones, hominum inventa & commenta, voces novas, aut ulla deniq; superstitionum fermenta; nominatim autem nec Anabaptistarum libellos authoritate publica toto damnatos in nostro Regno, nec aliorum quorumcunque quos sectarios vocant, vel jam explosa volumina, vel quæ posthac explodentur, aut ullo modo

do doceant, aut tradant, aut illorum nomina proferant, ad aliquam illius doctrinæ partem confirmandam de qua publicè concionatur.

¶ *Concionatorum mores & doctrinæ quales esse debeant.* Cap. 3

IN concionatoribus, vitæ magistris, hujusmodi placabilitas & modestia debet inesse, nunquam ut acerbè contendant, nec inter se, nec alter in alterum maledicta intorqueat: quòd si fortè quispiam ex illis sit qui doctrinam impiam in concione pervulgaverit, admoneri debet, ut publicè suum errorem agnoscat; quòd si recusaverit facere, judex illum afficiat hæretici pœna, nisi de sententia decesserit: & hoc etiam accuretur, ut ubi pernicioſam hanc doctrinam consevit, ibi sanus & pius aliquis concionator ejus hæresin convincat, ne populus erroris venenum hauriens, à vera desciscat & communi fide: Concionatores acriter vitiorum improbitatem objurgent, sed in eo sic illis oratio progrediatur, nullius ut hominis occulta maleficia separatim & propriè demonstrent. Nec quemquam nominatim reum coram multitudine citent, nisi tam importunus quispiam fuerit, ut Ecclesiasticas admonitiones antegressas cõtempserit. Evidens etiam & apertus sit concionatorum sermo, non obscurus, nec perplexus, nec verba sponte sic involvant & implicent, ut æquè possint in utramque partem distorqueri.

¶ *Ad quos propriè concionandi munus pertineat.* Cap. 4.

ARchiepiscopi in hoc concionandi munere principatũ habere debent. Succedant Episcopi, Decani & quicunq; sunt in dignitatibus (ut vocant) constituti: Nec hi solum in hac occupatione sanctissima debent esse, sed pastoribus

etiam & parochis eadem poteſtas in ſuis gregibus concedi debet, niſi juſtæ cauſæ ſubſint ob quas Epiſcopi ſui ſilentium illis indixerint.

¶ *De convocandis per Epiſcopum concionatoribus.* Cap. 5.

ET ut concionum ſit uberior fructus, & concionatorũ majorconſenſus, Epiſcopus omnes concionatores quibus ſpeciale privilegium, hoc eſt, præcipuam & peculiarem poteſtatem indulſit latè per univerſam diœceſim ſuam concionandi, certis temporibus ad ſe ſingulis annis congreget, cum illis de concionibus communicet, ac ex illis prædiſcat quæ vitia quibus in locis maximè frequententur, & quibus remediis poſſit illis facillimè occurri, ut communi quadam conſpiratione concionatorum improbitas coerceatur, & pietas dilatetur.

¶ *De his qui intereſſe debent concionibus.* Cap. 6.

QUoniam præcipuus ſabbatorũ cultus in præcipienda ſacrarum Scripturarum ſcientia conſiſtit, illos Eccleſiaſticis feriri volumus, qui concionibus intereſſe nolunt, aut negligunt, niſi morbus illos impediat, vel neceſſarium iter, vel alia pietatis exercitia, vel aliqua hujuſmodi negotia quæ omnino neceſſe eſt ſtatim obiri. Et hoc in loco primæ partes nobilium, & principum virorum eſſe debent, ut ſuo pulcherrimo & honoratiſſimo exemplo, ſtudia plebeiorum & inferiorum invitent: deinde præcipimus ut, propter majorem hujus rei diſciplinam ſanciendam, Magiſtratus, Juſticiarii, Præfecti Civitatum, & reliqui, quocunque juriſdictionis nomine cenſeantur, concionibus interſint, niſi magna illos & omninò non prætermittenda cauſa detineat.

¶ *Quid*

¶ *Quid de his ſtatuendum ſit qui in concione obſtrepunt.* Cap. 7.

SI qui tanta importunitate ſint, ut concionatore adhuc ex pulpito loquente, vel interfari, vel obſtrepere velint, vel ad illũ aliquomodò allatrare, ab Eccleſia ſegregentur, & communionis ſint expertes, donec palàm crimen agnoverint & reſipuerint. Itidem quicunq; vel otioſè obambulando, vel intempeſtivè garriendo, vel ex cœtu ſacro ſic emigrando, concionis ut contemptus in eo vel concionatoris deprehendi poſſit, vel quacunque alia ratione populum ad concionem attentum ſcientes & volentes averterint, aut interturbaverint, meritas hujuſmodi ſceleratæ levitatis pœnas dabunt, & Eccleſiæ in eo ſatisfacient, quòd eam ſub praviſſimo exemplo offenderint.

DE MATRIMONIO.

¶ *Matrimonium quid ſit.* Cap. 1.

MAtrimonium eſt legitimus contractus, mutuam & perpetuam viri cum fœmina conjunctionem Dei juſſu inducens, & perficiens, in quo tradit uterq; alteri poteſtatem ſui corporis, vel ad prolem ſuſcipiendam, vel ad ſcortationem evitandam, vel ad vitam mutuis officiis gubernandam. Nam nullis promiſſis, aut contractibus matrimonium poſthàc procedere volumus, quotcunque verbis, & quibuſcunque concurrentibus, niſi fuerit hac formula quam hic ſubjiciendam eſſe curavimus.

¶ *Matrimonium quomodo contrahatur.* Cap. 2.

PRincipio, qui miniſter eſt Eccleſiæ, tribus dominicis, aut ſaltem tribus feſtis diebus publicè futuras nuptias in Eccleſia populo denuntiet. Deinde ſponſus & ſponſa ſe palàm in Eccleſia collocabunt, & coràm eas ceremonias & ritus obibunt quæ noſtræ de rebus divinis ſanctiones in hoc genere poſtulant: huic autem formulæ tantam authoritatẽ damus, ut quicquid præter eam dictum, geſtumve fuerit, quacunque ratione matrimonium in eo non poſſit exiſtere, ſed omnia hujuſmodi præparationes ſint, aut præluſiones quædam ad matrimonium, non autem ipſum matrimonium in illis ineſt. Itaq; liberæ ſolutæq; ſint utræque perſonæ, nec altera poteſt ab altera matrimonii jus ullum poſtulare, donec, adhibito legitimo ceremoniarum apparatu, mũtuam fidem coram Eccleſia certis verbis dederint & acceperint.

¶ *Corruptores mulierum quomodo puniendi.* Cap. 3.

NEc tamen illorum fœda libido gravi pœna carere debet, qui ſimplicitatem puellarum, & mulierum innocentiam circumveniunt, & illarum caſtitatem promiſſis & blanditiis obſident, donec turpiſſimè corporibus earum tandem illudant. Nam cum pudicitiæ theſaurum illis detrahunt, omnibus reliquis opibus & copiis precioſiorem, in graviores illos æquum eſt pœnas incidere, quàm fures, quorum in rebus externis peccat improbitas. Eccleſia igitur illos excommunicationis telo præcipimus exturbari. Nec ullum ad eas reditum illis eſſe, niſi velint illas uxores ducere, quibus abutebantur priùs ut ſcortis: verùm hoc ſi fortè fieri non poteſt, Judices illorum bona agnoſcent, & ex eorum diligenti conſideratione tertiam partem ad mulieres

lieres ſevocabùnt quæ libidine ſunt illorum inquinatæ. Quòd ſi bona partitionem hanc non ferant, tamen ad prolem ſuis impenſis ſuſtentandam damnabuntur. Et præterea tantas ſibi pœnas impoſitas habebunt, quantas judex Eccleſiaſticus ad Eccleſiæ tollendam offenſionem ſatis eſſe putabit, ſi divulgatum crimen eorum fuerit.

¶ *Matrimonium ſine conſenſu parentum non valere.* Cap. 4.

QUoniam ſacræ Scripturæ pietati, juſtitiæq; convenit ens eſt, ut matrimonia damnentur, & pro nullis habeantur quæ vel liberi, vel orphani, nec ſcientibus, nec conſentientibus aut parentibus, aut tutoribus contrahunt; Præcipimus ut nec liberi, nec orphani uxores ducant aut ineant, niſi authoritas illorum interceſſerit in quorum poteſtate ſunt; quòd ſi fecerint, tales nuptias omnino non valere ſancimus, & ad nihilum recidere. Quòd ſi parentes vel tutores in providendis nuptiarum conditionibus nimiùm ceſſaverint, aut in illis proponendis nimiùm duri & acerbi extiterint, ad magiſtratum Eccleſiaſticum confugiatur, à quo partes eorum in hujuſmodi difficultatibus agi volumus, & ejus æquitate totam cauſam tranſigi.

¶ *Ætas, tempus, & locus Matrimoniis quæ ſint.* Cap. 5.

SEquitur, ut certã ætatem ponamus in qua nuptiæ concludi poſſint, & tempora deſignemus, ad quæ revocari debeant. Igitur fœmina cum ad duodecimum annum plenè pervenerit, virum ſponſum; vir cum ad annum decimũ quartũ aſcenderit, fœminam ſponſã accipere poteſt. Nec annos hic inferiores ullo modo nuptiarum participes eſſe ſinimus, tempora verò nulla ſunt excepta ad celebrandas nuptias, modo ſint hujuſmodi, ceremoniæ ut admittunt in

in hac lege noſtra cõpræhenſæ. In loco vel (ut vocant) parecia ſemper hoc ſervari placet, ut is ſumatur ad nuptias in quo vel ſponſa vel ſponſus inhabitat. Et ſi quis miniſter illos in alio loco matrimonio conjunxerit, pœnas excommunicationis incurret.

¶ *De prohibendis nuptiis.* Cap. 6.

CUm in Eccleſia ſponſus & ſponſa convenerint ut matrimonio conjungantur, ſi ſe quiſpiam interpoſuerit eo tempore, cauſamq; afferat, aut afferre poſſe dicat, cur in matrimonio eſſe non poſſint, & hanc rem intra menſem proximè conſequuturum ſe probaturum eſſe ſpondeat, & niſi ita faciat ſatisfacturum ſe plenè pro omni apparatu qui fuerat in celebratione nuptiarum futurus, & ad id non ſolùm ſe, ſed etiam pro ſe fidejuſſores locupletes obligaverit, tum demum audiatur, & matrimonium totum menſem differatur. Hæc tamen dilatio, quoniam aliquando dolum malum habere poteſt & fraudem, ut interim novis nuptiis locus eſſe poſſit, ad tollendam aſtutiam omnem, hoc iſta lege præcavetur, ut pendente controverſia prioris matrimonii, totum menſem exitum illius expectent, nec ad ullas interim novas nuptias divertant. Quam conſtitutionem noſtram ſi levitate ſua violaverint, nomen omne hujuſmodi matrimonii damnamus & tollimus, & perſona quæ rea fuerit hujus defectionis, excommunicationis pœnam ſuſtinebit, donec perſonæ ſatisfecerit, à qua deſcivit.

¶ *Quæ matrimonium impediant.* Cap. 7.

QUorũ natura perenni aliqua clade ſic extenuata eſt, ut prorſus veneris participes eſſe non poſſint, & conjugẽ lateat quanquam conſenſus mutuus extiterit, & omni

reliqua

reliqua ceremonia matrimonium fuerit progressum, tamen verum in hujusmodi conjunctione matrimonium subesse non potest, destituitur enim altera persona beneficio suscipiendæ prolis, & etiam usu conjugii caret. Verùm si nota sit utrique perversitas hæc corporis, & tamen mutuus perduret de matrimonio consensus, nuptiæ procedant, quoniam volentibus nulla injuria potest fieri. Par est ratio corporum maleficis artibus excantatorum & enervatorum, in quibus quoniam fructus nuptiarum tollitur, ipsas quoque nuptias detrahi necesse est. Præterea matrimonium dissolvetur, si uni personæ de altera non constiterit, vel quæ fuerit vel qua conditione fuerit; conditionem autẽ hoc in loco capimus vel pro libertatis statu, vel servitutis

¶ *Quæ difficultates non impediant matrimonium.* Cap. 8.

MUtis, & surdis qui mente consistunt, matrimonium permittimus, quoniam signis inter sẽ voluntatem & consensum testificari possunt: furiosi verò, nisi quædam habeant furoris intervalla, quibus res suas ratione moderari possint, omninò à nuptiis summovendi. Cum his qui non sunt Christiana fide, Christianis matrimonium non instituetur. Nam cum liberos Christianos in fide Christiana par sit enutriri, magnus est metus, ne id, nisi utroque Christiano parente, ita esse non possit. Sed si contingat, ut eorum qui jam sunt conjuges diversa religio fuerit, non temerè distrahentur hujusmodi personæ, sed juxta *Pauli* doctrinam, respectu Christianæ charitatis tam diu cohærebunt, quàm diu persona quæ aliena religione est unà vivere, ac cohabitare sustinebit.

¶ *Omnibus permittendum esse Matrimonium.* Cap. 9.

QUoniam matrimonium legitimus & pius usus est, & turpitudinem multorum flagitiorum excludit, illa

quoties opus erit, modo ritè fiant, repeti posse volumus. Nec ullas personas, cujuscunque sint conditionis, ordinis, aut ætatis, à nuptiis abarcemus. Tamen Christianis fœminis quæ grandes sunt, & ætate multùm provectæ, consilium damus, & illas etiam magnoperè cohortamur, ne se velint cum adolescentibus matrimonio conjungere, cumque liberos ex illis habere non possint, cumque in illa levitate, magna sit & multiplex perversitas.

¶ *Polygamiam esse vitandam.* Cap. 10.

POlygamiam autem profligari legibus nostris volumus, & in eisdem nuptiis solùm ponimus unum, atque adeò unicum par; sic enim matrimonium fuit à Deo primò fundatum. Itaque si quis plures uxores acceperit, omnes posteriores amandet, & solùm retineat quam sumpsit primam (si maritum velit illum agnoscere) cæteris verò quibus abeundū est, singulis dotem dispertiat, & Ecclesiæ præterea satisfaciat, affectus illa pœna quam judex tanto sceleri convenire existimabit. Tum mulierum etiam nequitia supplicio castigabitur, si scientes ad eundem se virum contulerint, & si illarum in eo maleficio culpa illa deprehendi possit.

¶ *Propter contentiones & rixas non tolli matrimonium.* Cap. 11.

COncluso jam matrimonio si tales rixæ, contentiones, injuriæ, concertationes, acerbitates, contumeliæ, luxus, pravitates multiplicis generis tam vehementer exæstuant, ut in eisdem ædibus conjuges commorari nolunt, nec cætera matrimonii jura sibi mutuò præstare, pœnis implicentur Ecclesiasticis, & in easdem ædes compellantur, & etiam revocentur ad pia inter se communicanda matrimonii officia, modò nulli tales casus inciderint propter quos ipso jure divortium petere liceat.

¶ Ma

¶ *Matrimonia vi & metu contracta non valent.* Cap. 12.

SUmmatim hoc ad omnia matrimonia pertinere volumus, ut si vis & metus illa coegerint, modò tanta fuerint ut in viros constantes juxta juris civilis doctrinam cadere potuerunt, omninò tales violentæ nuptiæ distrahantur, & pro nullis habeantur. Quanquam difficillimè quidem, & vix hæ difficultates ad matrimonium irrumpere possunt, si legitimos omnes ritus habeat, & totum peractum sit illa forma quam ante posuimus; tamen vis & metus si ulla ratione irruerint, matrimonium ex illis expressum prorsus dissolvi placet.

¶ *Ut matres propriis uberibus infantes alant.* Cap. 13.

INveteravit in uxorum moribus nimium mollis & delicata consuetudo, suam ut prolem à propriis uberibus ablegent, & ad alias nutrices amandent; quæ res cum plærumque nullis probabilibus causis nitatur, sed tenera quadam suorum corporum indulgentia, fit ut sibi ipsæ parcant, & honestos & naturales æducationis labores subterfugiant; & cum hæc inhumana matrum, & degener ignavia multorum causam malorum afferat, ad officium concionatorum nostrorum arbitramur pertinere, matres ut cohortentur ne prolem in lucem æditam inhumaniter destituant, & beneficium illis uberum suorum negent, quibus paulo antè beneficium impertiverunt suorum uterorum & viscerum.

DE GRADIBUS IN MATRIMONIO PROHIBITIS.

¶ *Inter personas non legitimas non debere matrimonium esse.* Cap. 1.

QUoniam matrimonium est legitima viri cum fœmina conjunctio, magna cautio adhiberi debet, ne tales personæ contra jus & fas ad nuptias accedant, & earum vinculo colligentur, quales divinæ leges ad hujusmodi conjunctionis societatem admitti nolunt. Nam id si contigerit, regnum nostrum, & Ecclesias in illo dispositas incestus contaminaret, deinde personas ipsas nefariis congressibus turpificatas necesse esset in Dei summum odium incurrere.

¶ *Consanguinitas & affinitas quid sint.* Cap. 2.

MUltiplices consanguinitatis, & affinitatis gradus sunt, in quibus matrimonium consistere non potest. Primùm autem ut ipsa capita cognoscantur, consanguinitas in illis intelligatur qui majoribus eisdem procreati sunt, quibus nos generati sumus, vel propagatione carnis & sanguinis descenderunt. Affinitas verò per conjunctionem maris & fœminæ ingreditur: hæc autem duo capita consanguinitatis & affinitatis sic comparata sunt, ut primùm divinæ leges, deindè civiles in utroq; genere gradus annotarint, in quos matrimonium intrare nullo modo debet.

¶ *Divinum jus in Matrimonio prohibendo quale sit.* Cap. 3.

DEus id his gradibus certum jus posuit, Levit. xviii. & xx. capite, quo jure nos & omnem nostram posteritatem tenere necesse est. Nec enim hæc illorum capitum

præcepta

præcepta veteris Iſraelitarum Reipub. propria fuerunt (ut quidam ſomniant) ſed idem authoritatis pondus habent, quod religio noſtra decalogo tribuit, ut nulla poſſit humana poteſtas quicquam in illis ullo modo conſtituere. Itaq; Pontifex Romanus illam, impiè ſibi facultatem arrogat; & conſcientias ſuas graviter conſauciant, quicunq; vel à pontifice Romano, vel à quocunque alio tales in hac cauſa diſpenſationes (ut vocant) conquirunt. Hoc tamen in illis Levitici capitibus diligenter animadvertendum eſt, minimè ibi omnes non legitimas perſonas nominatim explicari. Nam Spiritus ſanctus illas ibi perſonas evidenter & expreſsè poſuit, ex quibus ſimilia ſpatia reliquorum graduum, & differentiæ inter ſe facilè poſſint conjectari & inveniri. Quemadmodum exempli cauſa, cum filio non datur uxor mater, conſequens eſt, ut ne filia quidem patri conjunx dari poteſt. Et ſi patrui non licet uxorem in matrimonio habere, nec cum avunculi profectò conjuge nobis nuptiæ concedi poſſunt.

¶ *Regulæ obſervandæ in Jure Levitico.* Cap. 4.

UT ergo pellantur omnes errores, reliquæ nobis enumerandæ ſunt, & intexendæ perſonæ, quæ paribus graduum finibus conjunctæ ſunt cum illis perſonis quarũ ſacræ Scripturæ mentionem certam faciunt; in quo duas Regulas magnoperè volumus attendi, quarum una eſt, ut qui loci viris attribuuntur, eoſdem ſciamus fœminis aſſignari, paribus ſemper proportionum & propinquitatum gradibus. Secunda regula eſt, ut vir & uxor unam & eandem inter ſe carnem habere exiſtimentur, & ita quo quiſque gradu conſanguinitatis quemque contingit, eodem jus uxorem continget affinitatis gradu, quod etiam in contrariam partem eadem ratione valet. Et iſtis finibus ſi nos tenebimus, plures non inducemus illegitimas perſonas quam

ſacræ Scripturæ conſtituunt, & illos gradus integros & inviolatos conſervabimus de quibus nobis Deus præcepit.

¶ *Enumeratio perſonarum in Levitico prohibitarum.* Cap. 5.

IN Levitico diſpoſitæ perſonæ citantur hiis nominibus: mater, noverca, ſoror, filia filii, filia filiæ, amita, matertera, uxor patrui, nurus, uxor fratris, filia uxoris, filia filii uxoris, filia filiæ uxoris, ſoror uxoris. Perſonæ verò quas prætermittit Leviticus, hæ ſunt. Socrus, avia, & quæ ſupra ea ſunt directa via, quoniam omnes hujuſmodi matrum loco nobis eſſe videntur. Et ex altera parte filia, proneptis, & quæcunque infra ſunt & ex illis procreantur; à quibus, quoniam filiarum ſimilitudinem habeant, nos abſtinere debemus. Adjiciuntur fratris filia, ſororis filia, & quæ recta linea deſcendendo ex eis procreantur, uxor filii fratris, uxor filii ſororis, filia fratris uxoris, filia ſororis uxoris, ſoror matris uxoris, filius leviri, filius gloris, maritus ſororis patris, maritus ſororis matris, maritus filiæ fratris, filius privigni, filius privignæ.

¶ *Quæ conſideranda ſunt in ſuperiore Catalogo.* Cap. 6.

ET hi ſuperioris legis antegreſſi gradus duplicem conſiderationem habent. Primum enim non ſolùm in legitimis matrimoniis talem habent diſpoſitionem qualem jam poſuimus, ſed eundem in corporum illegitima conjunctione locum habent; filius enim quo jure matrem non poteſt uxorem ſumere, eodem nec patris concubinam habere poteſt; & pater quomodo filii non debet uxorem contractare, ſic ab illa ſe removere debet qua filius eſt abuſus. Qua ratione mater nec cum filiæ marito jungi debet, nec

nec etiam cum illo congredi quæ filium oppreſſerit. Secunda cautio eſt, non ſolùm iſtas maritis adhuc ſuperſtitibus disjungi perſonas quas diximus, ſed etiam, illis mortuis, idem perpetuò valere. Quemadmodum enim horribile flagitium eſt in vita patris, fratris, patrui, aut avunculi, audere illorum uxores violare, ſic poſt mortem illorum matrimonium cum illis contrahere parem turpitudinem habet.

¶ *Cognatio ſpiritualis non impedit nuptias.* Cap. 7.

SPiritualis illa, quæ vulgò dicitur, neceſſitudo, cum nec inducta ſit ſacris Scripturis, nec ullis fulciatur ſolidis & firmis rationibus, matrimonii curſum prorſus impedire non debet.

DE ADULTERIIS ET DIVORTIIS.

¶ *Adulteria ſeverè punienda eſſe.* Cap. 1.

TUrpitudo tam horribilis adulteriorum eſt, ut apertè decalogi præcepto confoſſa ſit, & etiam veteribus divinis legibus per Moſen latis publica populi lapidatione obruta & conſepulta eſſet: Denique jure civili etiam capite plecteretur. Rem igitur Deo tam odioſam & à ſanctiſſimis majoribus noſtris ſingulari cruciatu crucifixam, Eccleſiaſtici judices noſtri non debent ſine graviſſima pœna dimittere.

¶ *Mi-*

¶ *Ministri de Adulterio convicti quomodo puniendi sunt.* Cap. 2.

ORdiamur ab Ecclesiarum ministris, quorum vitæ præcipua quædam integritas esse deberet. Itaq; si quis ex illis adulterii, scortationis, aut incestus convictus fuerit, si propriam habuerit uxorem, omnes ejus opes, & bona devolventur ad eam, & ad liberos, si qui sint ex ea, vel ex aliquo priore matrimonio legitimè nati. Si verò nec suam uxorem nec liberos habeat, omnes ejus facultates arbitratu judicis, vel inter pauperes dispertientur, vel in alia pietatis officia conferentur. Deinde si quod illi beneficium fuerit, postquam adulterii vel incestus, vel scortationis convictus fuerit, ex eo tempore protinus illud amittat, nec illi potestas ullum aliud accipiendi. Præterea vel in perpetuum ablegetur exilium, vel ad æternas carceris tenebras deprimatur.

¶ *Laicus quomodo puniendus.* Cap. 3.

LAicus adulterii damnatus uxori suæ dotem restituito. Deinde bonorum universorum dimidiam partem eidem uxori concedito. Præterea vel in perpetuum exilium ito, vel æternæ carceris custodiæ mancipator.

¶ *Uxores sive Ministrorum, sive laicorum, quomodo puniendæ.* Cap. 4.

UXores ex contraria parte, tàm laicorum quàm ministrorum, si crimen adulterii contra illas probatum fuerit, & judex adversus illas pronunciaverit, dotibus carebunt, & omnibus emolumentis quæ vel ullo Regni nostri jure, vel consuetudine, vel pacto, vel promisso poterant ex bonis maritorum ad illas descendere, tùm etiam vel in sempiternum exilium ejicientur, vel perpetuæ carceris custodiæ mandabuntur.

¶ *Inte-*

¶ *Integra persona transit ad novas nuptias.* Cap. 5.

CUm alter conjunx adulterii damnatus est, alteri licebit innocenti novum ad matrimonium (si volet) progredi. Nec enim usque adeò debet integra persona crimine alieno premi, cœlibatus ut invitè possit obtrudi, quapropter integra persona non habebitur adultera, si novo se matrimonio devinxerit, quoniam ipse causam adulterii Christus excepit.

¶ *Reconciliationem esse optandam.* Cap. 6.

QUoniam in matrimonio summa conjunctio rerũ omnium est, & tantus amor quantus potest maximus cogitari, vehementer optamus ut integra persona damnatæ veniam indulgeat, & illam ad se rursus assumat, si credibilis melioris vitæ spes ostendatur; quam animi mansuetudinem licèt nullæ possint externæ leges præcipere, tamẽ Christiana charitas sæpe nos ad eam adducere potest. Quòd si damnata persona non possit ad superiorem conditionem admitti, nullum illi novum matrimonium conceditur.

¶ *Nemo conjugem arbitratu suo potest relinquere.* Cap. 7.

MAgna res est, & ingentem affert totius familiæ perturbationem, cum uxor à viro distrahitur. Quapropter adulterii respectu, nemo suam à se conjugem authoritate propria removeat, & aliam adsciscat, nisi judex Ecclesiasticus totam causam ritè priùs cognoverit & definiverit. Quod si facere quispiam ausus fuerit, jus omne agendi adversus conjugem amittat. Judex autem quoties alterum conjugem adulterii condemnat, alteri sinceræ personæ libertatem denunciare debet ad novum matrimonium

transeundi, cum hac tamen exceptione, certum ut tempus assignet in quo superiorem ad conjugem (si velit) redire possit; quod si tempore jam absumpto recusat facere, tum ad aliud matrimonium descendere potest. Et hoc tempus quod judex indulgebit, omninò volumus anni spatio vel sex mensibus definiri.

¶ *Divortium propter desertum matrimonium.* Cap. 8.

CUm alter ex conjugibus aufugerit, seque abalienarit ab altero, si persona absens possit inveniri, consiliis, hortationibus, & pœnis cogatur ut ad conjugem se rursus adjungat, & unà cum illo conventer vivat; quam ad rem si nulla ratione potest adduci, contumax in eo persona debet accipi, legumque divinarum & humanarum contemptrix: & propterea perpetuæ carceris custodiæ dedatur, & deserta persona novarum potestatem nuptiarum ab Ecclesiastico judice sumat. Cùm autem contumax non possit absens investigari nec erui, nec locus ullus in hoc crimine levitati vel temeritati relinquatur; Primùm absentem personam nominatim requiri volumus, illa juris formula, quam viis & modis appellant: Quo tempore si se non ostenderit, aut ejus aliquis vicarius qui causam ejus velit agere, Judex illi biennium vel triennium indulgebit in quo persona possit absens se repræsentare; quo tempore consumpto, si se ipse non sistat, & justas afferat absentiæ tam diuturnæ causas, destituta persona nuptiarum vinculis liberabitur, & novum sibi conjugem (si velit) sumat. Desertrix autem persona, si judicio jam peracto novisque consequutis nuptiis, serò, post biennii vel triennii spatium expletum sui potestatem fecerit, in æternas carceris tenebras detrudatur, & secundum matrimonium pleniſſimo jure valeat.

¶ *Divor-*

¶ *Divortium propter nimis longam conjugis absentiam.* Cap. 9

QUando non aufugerit conjunx, sed militiam, aut mercaturam, aut aliquam habet hujusmodi legitimam & honestam peregrinationis suæ causam, & abfuerit diu domo, nec illius vel de vita vel quicquam certò sciatur, largientur alteri conjugi judices (siquidem hoc ab illis requirat) biennii vel triennii spatium in quo mariti reditum expectet. Quo tempore toto si non revertatur, nec de vita possit illius aliquid esse explorati, cùm diligentissimè de ea fuerit interim perquisitum, alteri conjugi novas concedi nuptias æquum est; cum hac tamen conditione, prior ut maritus si tandem se repræsentet, uxor illum rursus ad se recipiat, si quidem ostendere possit culpa sua factum non esse quod foras tam diu peregrinatus sit; tantam enim & tam longi temporis absentiam nisi plena magnaque cum ratione possit excusare, custodiam in perpetuam carceris dimittatur, nullum ad uxorem reditum habeat, & illa secundis in nuptiis ritè permaneat.

¶ *Inimicitiæ Capitales divortium inducunt.* Cap. 10.

INter conjuges si capitales intercedant inimicitiæ, tamque vehementer exarserint, ut alter alterum aut insidiis, aut venenis appetat, aut aliqua vel aperta vi, vel occulta peste vitam velit eripere, quamprimùm tam horribile crimen probatum fuerit, ritè in judicio divortio volumus hujusmodi personas distrahi: majorem enim conjugi facit injuriam persona, quæ salutem & vitam oppugnat, quam ea quæ ex consuetudine se conjugis eximit, aut corporis sui potestatem alteri facit. Nec inter illos ullum consortium esse potest, inter quos capitale periculum cogitari cœpit & metui.

metui. Cum igitur unà non possunt esse, juxta *Pauli* doctrinam dissolvi par est.

¶ *Malæ tractationis crimen tandem divortium inducit.* Cap. 11.

SI vir in uxorem sæviat, & acerbitatem in ea nimiam factorum & verborum expromat, quam diu spes ulla placabilitatis est, cum illo judex Ecclesiasticus agat, nimiam ferociam objurgans; & si non potest monitis & hortationibus proficere, pignoribus oblatis, aut fidejussoribus acceptis, eum cavere compellat de nulla vehementi conjugi inferenda injuria, & de illa tractanda quomodo matrimonii intima conjunctio postulat. Quòd si ne pignoribus quidem, aut fidejussoribus coerceri potest maritus, nec asperitatem velit isto modo deponere, tum capitalem illum conjugis inimicum esse existimandum est, & illius vitam infestare. Quapropter divortii remedio periclitanti succurrendum erit, non minus quàm si vita manifestè fuisset oppugnata. Nec tamen præterea juris dempta est potestas coercendi uxores quibus modis opus fuerit, si rebelles, contumaces, petulantes, acerbæ sint & improbæ, modò rationis & æquitatis fines mariti non egrediantur. Et cum in hoc, tum in his superioribus delictis hoc teneri placet, ut solutæ personæ novas (si velint) nuptiarum conditiones legant, convictæ verò priorum criminum vel exiliis perpetuis, vel æterna carceris custodia plectantur.

¶ *Parvæ contentiones, nisi perpetuæ sint, divortium non inducunt.* Cap. 12.

SI minores quædam contentiones, aut offensiones obrepserint in matrimonio, *Pauli* sententia moderatrix earum esse debet, ut aut uxor marito se reconciliet, quod omnibus pœnarum & hortationum ordinariis, & extraordinariis

nariis viis procurari debet, aut absque novo conjugio maneat, id quod & viro pariter faciendum statuimus.

¶ *Perpetuus morbus non tollit matrimonium.* Cap. 13.

SI fortè conjugum alteruter perpetuum aliquem morbum contraxerit, cujus nulla levatio potest inveniri, tamen matrimonium in omnibus hujusmodi difficultatibus perdurabit. Quoniam hoc unum esse debet præcipuum & eximium matrimonii commodum, ut multa mala mutuis conjugum officiis sedari, leniriq; possint.

¶ *Durante lite quomodo rea persona sustentabitur.* Cap. 14.

QUoniam sæpè magnã controversiam habent,& longissimi sunt temporis lites adulteriorum, veneficiorũ, capitalium insidiarum,& malæ tractationis, vir uxorem interim honestis & convenientibus impensis sustentet, habita ratione dignitatis & conditionis in qua est.

¶ *Pœna falsæ accusationis.* Cap. 15.

MUltorum libidines hujusmodi pruritum habent, ut nova subinde matrimonia consectentur,& ad varias uxores devolare concupiscant. Quapropter falsas innocentibus calumnias struent adulteriorum,& aliorum hujus generis criminum, nisi sceleribus illorum suppliciorum acerbitate fuerit occursum. Itaque si vir uxorem adulterii, vel veneficii ream fecerit, & pòst causa cadat, dimidia bonorum pars ad uxorem devocetur. Nec in illis vendendi, distrahendi, legandi, permutandi, donandi, vel alienandi quacunque ratione jus ullum habeat, nisi uxor in id consentiat. Et uxor ex altera parte si maritum adulterii, vel veneficii, capitalis injuriæ vel malæ tractationis postula-

verit, & litem amittat, dote primùm careat; deinde orbetur omni emolumento quod jure per maritum debuit ad illam pervenire, nisi maritus illi sponte voluerit aliquid aspergere; postremò matrimonium inter illos, ita ut erat, integrum conservetur.

Si non conjunx conjugem, sed alterum ex his externa quædam persona reum faciat, & in judicio succubuerit, Ecclesiasticus judex illum arbitratu suo, magna tamen & acri pœna feriat, & etiam conjugi satisfaciat cui damnum dedit. Deniq; calumniatores hujusmodi nec ad Ecclesiam redeant, nec admittantur ad sacramenta, nisi famam ejus personæ, quam calumnia & mendacio dedecoraverunt, plenè restituerint quantum possint; & pœnitentia scelere digna perfuncti fuerint. Et has in hoc genere pœnas omnibus sive laicis sive clericis communes esse volumus.

¶ *Mariti pœna suadentis uxori adulterium.* Cap. 16.

SI maritus uxori suasor aut author ulla ratione fuerit adulterii committendi, damnabitur illa quidem adulterii, sed & maritus lenocinii reus pronunciabitur, & matrimonii conjunctione neuter liberabitur. Quod & de uxore similiter intelligi volumus.

¶ *Quæ pœna sit cum par adulterium est in utroque conjuge.* Cap. 17.

SI persona quæ fuerit adulterii convicta crimen in altero conjuge possit idem ostendere, & ostenderit priusquam conjunx ad novas nuptias diverterit, utriusq; conjugis culpa par in pares incidet pœnas, & prius inter illos firmum manebit matrimonium.

¶ *Recep-*

¶ *Receptatorum & fautorum adulterii quæ pœna sit.* Cap. 18.

NE illi quidem judicum Ecclesiasticorum diligentiam subterfugere debent qui receptatores sunt adulteriorum, aut illorum flagitia, ope, opera, vel consilio quacunque ratione procurant; quo in genere sunt exempli causa qui domum adulteris scientes expediunt, vel locum qualemcunque, qui sermonum, literarum, aut munerum cujuscunq; generis sint internuncii. Quaproptet omnem hujusmodi fæcem, quæ cœnum adulterii quacunque parte commovet, Ecclesiasticis pœnis & arbitriis etiam judicis constringendum esse decernimus.

¶ *Separatio à mensa & Thoro tollitur.* Cap. 19.

MEnsæ societas & thori solebat in certis criminibus adimi conjugibus, salvo tamen inter illos reliquo matrimonii jure; quæ constitutio cum à sacris literis aliena sit, & maximam perversitatem habeat, & malorum sentinam in matrimonium comportaverit, illud authoritate nostra totum aboleri placet.

¶ *Incestus & Scortationes laicorum quomodo puniuntur.* Cap. 20.

INcestus, nominatim autem is qui primum ad gradum ascendit, afficietur pœna sempiterna carceris. Deinde scortationes & vagæ licentiosæq; libidines omnis generis magna suppliciorum acerbitate comprehendantur, ut tandem aliquando radicitùs ex regno nostro extirpentur. Ecclesiastici igitur judices diligenter evigilent, ut quascunq; personas & cujuscunq; sexus flagitiosis & impuris libidinum congressibus implicatas in excommunicationem ejiciant;

ejiciant, nisi maturè moniti resipuerint. Et licèt se ipsi correxerint, tamen publicè cogantur Ecclesiæ satisfacere. Præterea decem libras in pauperum cistam Ecclesiæ suæ propriam imponant, vel, si minores illorum facultates sunt, tantum imponant quantum de bonis illorum commodè detrahi potest.

¶ *Filius non legitimus quomodo sit alendus.* Cap. 21.

FIlius ex adulterio susceptus, aut ex simplici scortatione, quemadmodum appellant, patris impensis alatur, siquidem is inveniri poterit. Qui si non poterit erui, mater suum ipsa fœtum propriis impensis sustentet.

DE ADMITTENDIS AD ECCLESIASTICA BENEFICIA. Cap. 1.

QUemadmodum reipublicæ status ruit, cum à stupidis & flagitiosis & ardentibus ambitione viris temperatur, sic Ecclesia Dei nostris hisce temporibus gravissimè laborat, quando illorum curæ committitur qui tam præclarum ad munus obeundum omnino sunt inepti: qua in re multùm, & longè longéq; plurimum ab illis beati *Pauli* formulis recessum est, de quibus ad *Titum* & *Timotheum* præscripsit. Quapropter huic tam insigni nostrarum Ecclesiarum cladi maturum aliquod remedium à nobis inveniendum est.

¶ *Diligenter in Ministros inquirendum.* Cap. 2.

OMnes quibus aliqua ratione sacerdotium obvenit, diligentissimè ritu, & præscripto legum nostrarum explorentur

plorentur & pernoſcantur, ne temerè cuiquam Epiſcopus manum imponat, & alienorum criminum paticeps ſit. Nec admittatur ullus ad Eccleſiam adminiſtrandam, niſi priùs ritè fuerit examinatus.

¶ *Patronorum officium.* Cap. 3.

PRætereà patronis beneficiorum Eccleſiaſticorum præcipimus, ut omnibus ſecluſis, vel neceſſitudinum, vel quorumcunque reſpectuum affectibus, illorum rationem habeant qui munus hoc ſacrum, ad quod adhibendi ſunt, poſſint, & velint omnibus partibus implere. *Nec enim ſacerdotia delata ſunt ad patronos, ut illa circumciderent, aut de illis prædarentur, ſed ut illorum præſidio & fide tutò conquieſcerent.*

¶ *Patronorum delinquentium pœna.* Cap. 4.

VEhementer patronorum intereſt, ne turpiter & avarè ſibi quacunque conventione præcaveant in beneficiorum collationibus, de retinendis ædificiis, ſubducendis decimis, aut ullo ſe contaminent flagitioſo quæſtu. Quorum ſi quicquam in hoc genere fuerit contra leges noſtras quacunq; ratione conventũ, Patronus collocationis jus illius tẽporis amittet. Deinde qui jure fuerat collocationis uſurus, quoniam ad iniquam tranſactionem ſuam voluntatem accõmodavit, & ſacerdotio carebit quod illi deſignabatur, & ab aliis omnibus quæ cõſequi poterat excludetur.

¶ *Sacerdotia vacua non eſſe oportere, neque antequam vacaverint conferri.* Cap. 5.

SAcerdotia diu vacua jacere non debent. Itaque niſi ſpatio ſex menſium poſtquam vacua facta ſunt, patroni no-

vos illis miniſtros deſignaverint, ipſo beneficio deſignationis illo quidem tempore carebunt: & tamen in collocandis ſacerdotiis nimium properari nolumus, nec patimur ut patroni certam illorum ſpem cuiquam ulla ſcriptorum, aut pignorum, aut pactorum cautione faciant, priuſquam vacua ſint. Nam hujuſmodi conventiones magnam ſecum vim incommodorum afferunt. Itaque qui talem ullam ſacerdotiorum minimè vacuorum ſpem faciunt, jus collocationis illius temporis amittent, & qui ad nondum vacua ſic adſpiraverunt, ne ad vacua quidem poſt aſſumentur, & etiam ab omnibus aliis ſubmovebuntur.

¶ *Jus deſignationis à Patrono ad quos devolvatur.* Cap. 6.

QUoties Patronus deſignationis jus amittit, illud in Epiſcopum tranſire placet, qui ſpatio ſex menſium ſi neglexerit, in vacuum ſacerdotium idoneum aliquem imponere jus in Archiepiſcopum transferetur, qui ſex menſibus (à quo tempore certior factus eſt) illo jure ſi non utatur, nos illud ipſi nobis ſumemus. Et ſi nobis etiam, ex quo id novimus, ſex menſes effluxerint ſacerdotium vacuum non collocantibus, ad patronum rurſus jus ſuum devolvetur, & ſic in eodem ſemper orbe circumferatur illis quas nominavimus perſonis mutuò ſibi ſuccedentibus, donec tandem aliquis eorum præſcripto tempore jus collocationis exequatur.

¶ *Cognitores adhibendos eſſe.* Cap. 7.

QUoniam explorandam eſſe diximus & excutiendam illorum doctrinam & probitatem qui ſacerdotiorum participes erunt; primùm Epiſcopus ipſe certos cognitores eligat. Deinde quoniam hæc cura peculiaris Archidiaconorum eſſe debet, illos in jure ſuo nolumus interpellare, ſed

ſed univerſum hoc cognitionis negotium illis informandum, & pertractandum relinquimus, hoc interim proviſo, collegas ut vocent ad ſe, quos Epiſcopus cognitores deſignaverit, quorum perſpecta fuit gravis morum integritas, & in quibus ſacrarum Scripturarum ſcientia cum uſu conjuncta ſit & peritia gubernandarum Eccleſiarum. Et etiam Epiſcopum in primis optabile eſt ipſum (ſi fieri poteſt) in hoc cognitionis negotio verſari. Munus enim hoc unum eſt ex omnibus ſummum & maximum in quo ſtatus Eccleſiarum præcipuè fundatus eſt. Quare ſi minutioribus in plærisque cauſis Eccleſiarum Epiſcoporum præſentia flagitatur, eam in hoc ſanè principali munere deſiderari minimè convenit.

¶ *Juramentum cognitioni præponendum eſſe.* Cap. 8.

NOlumus ad cognitionem deſcendi, donec juramentum à petitore fuerit requiſitum, ut verè ſinceréque reſpondeat ad omnia quæ fuerint ab illo quæſita, modo præſentē ad cognitionem pertineant. Deinde in omnes vitæ partes diligenter inquiretur & in doctrinam penitus intrabitur, ne fortè vel inſcitia, vel ſcientia perverſa laboret, aut corrupta.

¶ *In doctrina quid quærendum ſit.* Cap. 9.

QUantum autem ad doctrinam illorum ſpectat qui ſunt ad Eccleſiarum moderationem admovendi, hiis potiſſimum viis cognitionem procedere volumus, ut eorum ſententiæ de fide Catholica perveſtigentur, & ſacroſancto trinitatis myſterio, quantum quidem in illis neceſſariò credendum; proximo loco de ſacrarum Scripturarum libris quos canonicos appellant, qualemque credant & quantam ſacrarum ſcripturarum authoritatem. Succedant controverſiæ recentiores noſtrorum temporum. In ſum-

ma catechiſmum membratim, & per partes explicent, in quo præcipua religionis capita breviter decurſa ſunt.

¶ *Cognoſcendum eſſe an hæretici ſint.* Cap. 10.

QUoniam autem planè ſciri debet, an ulla ſint infecti falſa doctrina, quærendum ex illis erit quid de materiis univerſis ſentiant quas in caput de hæreticis conjiciendas curavimus. Et ad has interrogationes qui non convenienter & rectè reſponderint, cognitorum judicio, vel qui ſacrarum ſcripturarum ſcientiæ ſint expertes, repudientur. Si verò fuerint hæc in illis bene conſtituta, tum demum ad reliqua pergendum erit.

¶ *Cognitores quid primùm requirent.* Cap. 11.

EI primùm quidem cognitores ex illo ſciſcitentur, an ad illa beati *Pauli* præcepta ſe velit accomodare, quæ ſunt ad *Timotheum* his verbis, *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple*, ut Eccleſiam ſuam, ad quam apponetur, quantum vires ferent, aſſiduitate ſemper adminſtret, & deinde ſuum illi planè & apertè declaretur officium quod in ſacerdotio debet exercere.

¶ *Unicum eſſe oportere ſacerdotium unius miniſtri.* Cap. 12.

QUoniam multis ſacerdotiis in unum miniſtrũ concurrentibus, ſingulis munus rectè perfectéque ſatisfieri neceſſe eſt, & minus viris doctis (qui adhuc egent, neque illis proſpectum eſt) conſuli poteſt, percontentur à candidato cognitores, an ullum habeat præſens ſacerdotium: & ſi confiteatur habere ſe, ſecundum non impetret quod ab illis petit: alioqui prius ſacerdotium volumus vacuum fieri,

fieri, acſi poſſeſſor ejus obiiſſet, eritq; patroni jus & officium loco ejus alium quempiam deſignandi.

¶ *Privilegia pluralitatum, ut vocant, tollenda.* Cap. 13.

PRivilegia quorum authoritate multa ſacerdotia poſſint in unum miniſtrum confluere, poſthac nemini volumus indulgeri. Attamen his qui hactenùs impetrarunt ut plura ſibi permittantur adminiſtranda ſacerdotia, noſtram hanc legem fraudi eſſe nolumus, quo minus acquiſitis privilegiis liberè fruantur.

¶ *Abſentiæ quæ poſſint eſſe cauſæ.* Cap. 14.

QUicunq; vel annis fuerit gravis, vel morborum incurſione multùm extenuatus, ut ſuo munere fungi non valeat, vel ſi quamcunq; juſtam aliam habeat temporariæ cujuſdam abſentiæ cauſam Epiſcopo approbandam, propter quam illum aliquandiu ſacerdotio neceſſe ſit abeſſe, tamen hoc interim perſpiciendum erit, ut probum & laudabilem vicarium ſuo in loco collocet. Et diligenter Epiſcopi vigilent, ne cujuſcunq; rei reſpectu doloſè quiſquam aut aſtutè diutiùs quàm neceſſitas urget à ſacerdotio ſuo ſinatur abeſſe.

¶ *Quo tempore ſit adeundum ſacerdotium.* Cap. 15.

QUoniam hoc à nobis priùs conſtitutũ eſt, ut unuſquiſque ſuo in ſacerdotio permaneat, niſi temporaria quædam privilegia nonnullos aliquãdo liberaverint, hoc etiam adjunctum ſit, ut cum peracta cognitione quiſquam per ordinarii literas ad ſacerdotium adhibetur, duorum menſium ſpatio continuò ſubſequentium in ſacerdotium commeet, niſi morbus aut vehemens neceſſitas, cui parendum ſit, illum diſtineat; quòdſi ſecùs fecerit, & ſacerdotium præſens

illi peribit, & etiam ab aliis omnibus ſubmovebitur.

¶ *Officium præbendariorum.* Cap. 16.

Immunitatem quandam omnium munerum habere ſolebant qui beneficiis priùs Eccleſiaſticis fruebantur, curarum (ut ipſi interpretati & etiam loquuti ſunt) expertibus: Nos autem prædidicimus Eccleſiarum utilitatibus omnes inſervire debere, quicunq; vivunt Eccleſiæ proventibus. Igitur tum canonicis tum præbendariis, qui certa ſibi non habent in Eccleſiis diſpertita munera, negotiũ hoc damus, ut Eccleſias docendo, concionando, morbis vel rebus adverſis depreſſos ſolando, reliquaque pietatis officia communicando ſublevent, vel aliis quibuſcunq; viis legitimis & rectis quas Epiſcopus & Decanus Eccleſiæ præſcripſerint.

¶ *Quinquennii abſentiam præbendariis indulgeri.* Cap. 17.

HOc autem illis indulgemus, qui vel ad præbendas, vel ad canonicatus, vel ad beneficia certorum munerum expertia ſunt adſerti, quinquennium ut doctrinarum ſtudiis in Academiis impendant, hoc adjecto, ſingulis ut annis literas ſcribant cùm ad Epiſcopum, tùm ad integram ſocietatem, quam capitulum vocant, in quibus fideliter rationem vitæ reddant & morum & progreſſionis in doctrina. Cum autem abſumptum eſt quinquennium, in ſua beneficia vel Eccleſiaſtica munera rurſus introire cogantur.

¶ *De natalibus miniſtrorum.* Cap. 18.

POſtquam de vita plenè cognitum eſt, de religione, de ſcientia, de voluntate ſacerdotium adminiſtrandi, & in eo remanendi, tandem etiam ad natales & ortus illorum deſcendatur. Et quanquam ſtupris parentũ & adulteriis filii non premuntur, quantum quidem ad immortalitatem vitæ cœleſtis futuræ pertinet, tamen Deus, quoniam immenſo

menso quodam & grandi stuprorum & adulteriorũ & flagitiosarum libidinum odio liberos vitio procreatos vehementer interdum affligit, & successores eorum obterit, & propter eandem patrum impuritatem filios in veteri Testamento ab Ecclesiæ administratione depulit; nos divinæ severitatis exemplum sequuti, tales vitio generatos filios à contrectatione munerum Ecclesiasticorum abarcemus, nisi fortè singulares quidam existant eximiis donis instructi, quæ sic in illis luceant, ut priores natalium sordes obscurentur, aut virtutum præstantia compensentur, aut nisi summa sit in Ecclesia ministrorum paucitas.

¶ *Patronorum nothos ab Ecclesiarum cura removendos esse.* Cap. 19.

QUorundam tanta est patronorum impudentia, suos ut liberos ex adulteriis & stupris susceptos in illas Ecclesias intrudant, quarum ad illos jus designationis pertinet, qui cùm paternarum libidinum intempestivi testes sint, potiùs quàm Ecclesiarum apti ministri, peccandiq; quandam authoritatem afferat tam ingens illorum habita ratio, hujusmodi omnes beneficiorum collocationes prorsus irritas esse volumus, & patronos pro eo tempore collocationis jure privari.

¶ *Vitiis quibusvis corporum ministros non non arceri à Sacerdotiis.* Cap. 20.

OFfensiones corporum, quæ priùs homines à susceptione munerum Ecclesiasticorum secludebant, tantum posthac momentũ non habebunt, ut illis, cujuscunq; generis fuerint, vir doctus & probus ab administrando sacerdotio summoveatur. Illorũ tamen diligens erit habenda consideratio, qui gerendi muneris Ecclesiastici facultatem vel omnino

omnino perimunt, vel planè corrumpunt, ut cæcitas lectionis officium tollit, ad quod *Paulus Timotheum* incitat: rursus in ministro si lingua sic titubaverit, vel adhæserit, vel quacunq; calamitate tantoperè vitiata fuerit, ut in concione à suis non poterit intelligi, fructum in illo maximum sui muneris interire necesse est. Præterea si vultu minister sic detorqueatur, spiritum adeo tetrum habeat & aspernabilem, ut homines ab illius consuetudine colloquioque resiliant, & ita nec publicum nec privatum, vel consilium vel solationem, aliorum necessitatibus impertire possit, desiderari penè omnia in illo videmus, quæ suum ad officium pertinent. Igitur has grandes, & immanes corporum clades qui sic inustas habent, ut sacrarum in illis rerum libera non possit administratio procedere, minimè ad dignitatem sacerdotiorum gubernandorum perveniant: sed minutiores offensiunculæ licèt insperſæ sint, illos à sacerdotiis non destinebunt, nec earum deformitatem pecunia redimere debent.

¶ *Ætas ministrorum.* Cap. 21.

SEquitur ætas, quæ non est in Ecclesiæ ministris negligenda; quoniam annorum maturitas authoritatem affert, & adolescentiæ temeritas occupationi sanctissimorum munerum & severitati vix convenire potest. Igitur in Episcopis, Decanis Ecclesiarum cathedralium, & Archidiaconis, quorum maxima perfectio morum esse debet, tricesimum annũ expectari volumus, in parochis, ut vocant, vicesimũ quintum, in prebẽdariis eundem, siquidem cura sit illis ulla certorum hominũ commissa, quos & concionandi laborem, & sacramentorum communicandorum oportet subire, quoties vel Episcopi, vel præsides hæc illorum curæ committunt. Itaq; volumus illos respectu studiorum ad Academias ablegari, doctrinam enim & omnem reliquam

quam facultatem illos secum oportet adferre, priusquã ingrediantur ad Ecclesiastica munera.

¶ *Ætas liberorum præbendariorum.* Cap. 22.

IN liberioribus illis & solutioribus præbendis quæ certos greges non curant, juvenes collocari possunt qui vicesimum primum annum impleverunt, si cætera cognitores in illis animadverterint rectè comparata, quibus hoc etiam indulgeri potest, ut si diaconi fuerint, addiscendarum causa sacrarum scripturarum ad Academias aliquandiu diversentur, sed ille secessus omninò debet quinquennii spatio definiri; quo exacto nisi presbyterii gradu initientur, & præbenda jam adepta privabuntur, & ad restituendos fructus superioribus annis ex ea perceptos censuris Ecclesiasticis adigentur.

¶ *Cognitorum qualis diligentia requiratur.* Cap. 23.

COgnitores ipsi magna vigilantia summáque debent assiduitate & integritate suum implere. Quod si quisquam eorum prævaricatus fuerit, & vel quæstu vel gratia de jure formularum decesserit, in hac universa cognitione præstitutarum, non solùm ea de re Christo summo judici respondebit, verùm etiam Episcopi, cum requisitus fuerit, cogetur judicium censuramque subire.

¶ *Forma juramenti ministrorum.* Cap. 24.

EXtremo loco cum finis erit totius cognitionis, si persona videbitur ad suscipiendum sacerdotium apta, juramento tenebitur ad illa quæ sequuntur præstanda. Principio se permansurum in recepta fide, veraque religione, toto vitæ spatio, piorumque semper institutorum retinentissi-

tissimum fore: Monarchiam & tyrannidem Romani pontificis non agniturum: Regem Angliæ culturum, & veneraturum Ecclesiæ Anglicanæ summum caput in terris post Christum. Deinde reverentiam, fidem & summissionem suo exhibiturum Episcopo, quod omnia honesta, & sancta illius mandata nihil de jure diminuturum Ecclesiæ sibi commissæ; præterea nec anteà dedisse quicquam nec postea daturum, aut de dando pactum intercessisse, vel intercessurum, vel ipso authore, vel alio quocunque procuratore, aut vicario, respectu præsentis sacerdotii quod jam sumit; & si quisquam illum celans hoc in genere quicquam molitus est, se, quamprimum norit, Episcopo renunciaturum, & ejus arbitrio censurum parto sacerdotio: tum autem non gravaturum se Ecclesiam suam novis, aut auctioribus pensionibus: Postremò, si fortè sacris ordinibus adhuc imbutus non sit, spatio sex mensium continuè subsequentium, Diaconum, & deinde spatio succedentis anni presbyterum esse futurum, vel quam primum vicesimum quintum annum perfecerit, si fortè ante illud ad præbendam liberiorem (ut supra diximus) admissus fuerit.

¶ *De iis qui temerè in beneficia irrumpunt Ecclesiastica.* Cap. 25.

ET ne quis præceps in dignitatem, aut beneficiũ irruat Ecclesiasticum, volumus ut quicunq; absque ordinarii authoritate, & literis illius subscripta auctenticis beneficium aliquod Ecclesiasticum occupaverit, non tantùm excidat à beneficio quod injustè invasit, absque spe ulla illius recuperandi, verùm etiam nullum aliud imposterùm consequi poterit, & ut ejus contumacia requirit excommunibitur, & à ministerio Ecclesiastico suspendetur.

¶ DE

DE RENUNTIATIONE
vel desertione Beneficiorum.
CAP. 1.

HUjusmodi causæ possunt incidere, sacerdotiis ut vel cedi sponte possit, &, ut vulgò loquuntur, illis renuntiari, vel eorum etiam ut permutatio fiat: sed hoc quoties usu veniet, omnem dolum, & avaritiam, & simoniam, non solùm crimen, sed etiam suspicionem, quantum fieri potest, abesse præcipimus.

¶ *In renuntiatione & permutatione, consensus ordinarii necessarius est, & sine illo paciscens, Simoniacus est.* Cap. 2.

NUnquam vel cedi placet beneficiis Ecclesiasticis cujuscunque generis fuerint, vel permutatione moveri propter ullam lucri, vel emolumenti spem objectam, nec ullum in hujusmodi negotiis factum valeat, donec ordinarius illus Ecclesiæ proprius totam rem consideraverit, & eam authoritate sua confirmaverit. Quòd si quis temerè provectus ordinarii consensum in hac causa non adhibuerit, aut de lucro pactus fuerit, in eo ipso, *Simoniæ* reus erit, nec ullum dimissi beneficii emolumentum unquam percipiet.

¶ *Resignationis negotium non potest inchoari sine authoritate ordinarii.* Cap. 3.

ET quoniam vehementer placet omnes non solùm causas sed occasiones maleficiorum amputari, nullam dimittendorum aut aliis permittendorum beneficiorum mentionem fieri patimur, ex qua pactum possit cum quoque consequi, donec ordinarius hoc potestate sua liberum fecerit. Nec ordinarius ex altera parte rem hanc procedere

ſinat, niſi ipſe qui beneficio ceſſurus eſt juramentum interponat, nec lucrum in hac re, nec ullam Simoniacæ perverſitatis particulam interceſſiſſe vel interceſſurum.

¶ *Non licet ſententiam ceſſionis mutare.* Cap. 4.

SI quis ſemel beneficio ceſſerit, & pòſt conſilium mutans ad illud reditum habere voluerit, fruſtrà ſit hæc illius ſecunda & ſera voluntas, niſi fortè talis aliqua ſubſit cauſa, ſuperiorem ut ordinarius ceſſionem retexendam, & pro nulla putet habendam.

¶ *Cedi non poſſe beneficiis Eccleſiaſticis per procuratores.* Cap. 5.

ET ut omnia prorſus in hoc negotio ſincera ſint, procuratores excludimus, nec eos ullo modo patimur ad ſacerdotiorum dimiſſionem admitti. Quòd ſi aliquando contra conſtitutionem hanc noſtram obrepſerint vel irruperint, fruſtra ſit illorum ceſſio, vel (ut vulgò loquuntur) reſignatio.

DE PERMUTATIONE
Beneficiorum Eccleſiaſticorum.

¶ *Quomodo permutatio procedat.* Cap. 1.

ECcleſiaſtica beneficia, quocunque nomine cenſeantur, ſine patrononum & ordinariorum authoritate permutari non licebit. Verùm quando locorum & Eccleſiarum ratio poſtulabit, ut ut qui uno loco minùs utiles eſſe videntur, alibi ſe valeant uti-

utiliùs exercere, poteſt Epiſcopus unum miniſtrum in alterius locum imponere, ſi voluntas id miniſtrorum ferat, & uterque locus in ditione ſit Epiſcopi quam dioceſim vocant.

¶ *Quodmodo beneficia diverſarum dioceſum permutari poſſint.* Cap. 2.

SI quando verò contingat Eccleſiaſtica beneficia quæcunque diverſis in dioceſibus poni, de quibus cõmutandis cœptum eſt, ad exitum cauſa non perveniat, donec utriuſque ditionis, vel dioceſis ordinarius authoritatem ſuam conjunxerit. Qua in re ut permutationum impenſæ minuantur, & etiom in toto ſiat negotio minus moleſtiæ, cujus in ditione minus beneficium ineſt, Eccleſiaſticrum is ſuum jus in alterum ordinarium transferat, qui ſuam ad propriam alterius delegatam, & quaſi fidei commiſſam poteſtatem infundens, ſua ſententia totam permutationis cauſam concluder.

¶ *Quæ Beneficia poſſunt in omne tempus permutari.* Cap. 3.

ECcleſiaſtica beneficia quæ ſic comparata ſunt ut Eccleſiæ vel collegia jus in illis proprietatis habeant, ordinariorum interpoſita ritè ſententia, permutatione poſſunt in omne tempus ab una ſocietate in aliam transferri.

¶ *Permutatio, ſi bona fide non fiat, nulla eſt.* Cap. 4.

QUoniam iniquum eſt homines in eo circumveniri, quod illis pro beneficio jus indulget, præſertim cum ſanctum eſt cauſæ genus, & ad Eccleſiam pertinet, inſtituimus ut quoties beneficiis Eccleſiaſticis ceſſum eſt, ſi veros

ad dominos & permutationum authores non perveniant, sed ad alios astutè detorquentur, omnis hujusmodi fraus, quæ non directis fidei, sed fraudis obliquis viis incedit, prorsus tollatur, & ad nihilum recidat, talesque permutationes omnibus modis pro nullis habeantur.

DE PURGATIONE.

¶ *Cur legitima purgatio sit instituta.* Cap. 1.

QUoniam omnes leges & instituta debent ad hæc duo capita referri, virtus ut veneratio-nem, & remunerationem habeat, vitium ut contumelia notetur & supplicio, quem-admodum his legibus nostris procuratum est, nimirum malorum ut improbitas pœnarum acerbitate devinciatur, ita nunc tempus est ad secundum ut descen-damus, scililet ut defensionem & præsidium innocentiæ comparemus & integritati. Tolerabilius enim est reum præteriri, quam bonum circumveniri, nec diligentius sce-lera peccatorum, quàm calliditates detractorum, ex re-publica debent excludi. Primum enim hoc in causa pur-gationis sit, ut si quis in suspicionem Ecclesiastici criminis venerit, & apud bonos & laudabiles viros publicè infamis esse cœperit, licèt planè non possit de crimine constare, ta-men arbitratu judicis infamata persona suam defensionem instruat.

¶ *Quando purgationi locus est.* Cap. 2.

DEfensio, quam vulgò purgationem dicunt, habet pro-priè duo tempora, quorum alterum est cum adversus aliquis infamis rumor publicè dimanavit de aliqua persona præsertim ad honestos, & bene moratos homines; alterum est

est quando reus aliquis in judicio factus est, & tamen legitimis probationibus convinci non potest, sed magnis interim & verisimilibus præjudiciis urgetur.

¶ *Quando purgatio non indicitur.* Cap. 3.

MAnifesto crimine nullus est defensioni locus, nec rursus ad purgationem reus tradi debet, cum infamia probabilibus causis non nititur, sed mendacio & calumnia; sed tamen reus ipse, si suæ confisus innocentiæ cupiat publicos honestatis suæ testes in judicium deducere, æquum est hoc illi concedi.

¶ *Damnatis in civili judicio non est opus Ecclesiastica purgatione.* Cap. 4.

MAgnam indignitatem nobis habere videtur, ut Ecclesiasticæ personæ, cum à civilibus nostris legibus capitalis criminis pronunciantur, rursus ad Ecclesiastici fori judicium relegentur, & purgentur. Nam acies in eo nostræ videtur authoritatis præscindi & retundi. Etenim cum omnibus regni nostri ordinibus præficiamur, & imperitemus, quare nostra judicia ab Ecclesiasticis rescinduntur? Quisquis alterius retexit judicium, illum oportet majore esse superiorique loco. Non igitur nostra possunt judicia foro Ecclesiastico tolli, nisi nostra quoq; authoritas intelligatur Ecclesiasticis judicibus subjacere. Proinde ne talis posthàc instituatur purgatio, mandamus, quum non solùm in eo antehac Regali nostræ potestati largiter detrahebatur, verumetiam à justitia recedebatur, quoniam nulla potest ibi purgationis defensio supereſſe, certum ubi crimen antegressum est.

¶ *Quando præmonendus sit reus ante purgationem.* Cap. 5.

SIquis adversa fama fuerit, & quotidiè de illo minimè belli rumores increbrescant, sed tamen admodum suspicio-

cioſi, & is tum ſuæ famæ negligens fuerit, Epiſcopus terrorem Eccleſiaſticarum pœnarum objiciens, omnibus denunciet qui quicquam ſcire videntur, ut id proferant. Et ſi nullus hac ratione poteſt accuſator elici, perſonam infamatam ipſe primùm ſeparatim ad officium adhortetur; ſi non ita perficietur, duos aut tres teſtes adhibeat, quibus ſi non poteſt flecti, publicè cum illo agat: ad extremum ſi nec ita poteſt ad officium duci, illum vel à munere Eccleſiaſtico ſubmoveat, vel abarceat ab Eccleſiæ ingreſſu, donec legitimam ſuam infamiam perpurgaverit, ne ulla communis in eo ſit offenſio Eccleſiæ. Si verò peccatum erit atrocius, nimirum perjurii vel adulterii, commiſſumque jam antè peccatum dicatur, & magna fuerit in eo Eccleſiæ offenſio, tum protinus præciſa monitorum mora, Judex illum ad defenſionem vel purgationem adigere poteſt. Monitorum enim locum in ſolutiore vita, mollioreque quam convenit habitu & conſuetudine, cæteriſque rebus ſuſpicioſis potiùs quàm malis eſſe placet. Purgationem verò judex præſcribere poteſt, licèt ſolennes legum ritus non antegrediantur, vel certi temporis ad accuſandum præparandi, vel ſuſpicioſæ perſonæ criminibus inquirendi.

¶ *Purgationem legitimam aliquando publica denunciatio procedit.* Cap. 6.

CUm defenſio vel purgatio perſonæ adverſa fama laborantis inſtituitur, Judex vel propriam ejus Eccleſiam, vel aliquam aliam illi maximè familiarem deligat, in qua maxima populi frequentia divinorum officiorum tempore coram omnibus proponatur, ut ſi quis inſtitutæ defenſionis ordinem, aut curſum impedire velit, aut ullo modo ſe in hoc negotio interponere, loco, die, & tempore conſtitutis ſe oſtendat, & ibi quicquid ulla ratione velit in hac cauſa purgationis afferre, coram judice ritè & pro-

promat. Et licèt judex præmittendam existimet hujusmodi proclamationem, tamen is qui adversa est fama, si remedium hoc valde flagitaverit, & suis impensis id procurare velit, illi concedi placet.

¶ *Quando suspendantur nondum purgati.* Cap. 7.

RElegatio ab Ecclesia, quam suspensionē vocant, nunquam statim ante purgationem distringenda est, nisi sit immane facinus quod in suspitione est, aut ipse reus cui se defendendo supina fuerit & dissoluta negligentia.

¶ *Ratio purgationis.* Cap. 8.

HÆc formula purgationis esto. Defensor se crimen non admisisse jurato: defensoris liberatores, vel, ut vulgò dicunt, compurgatores credere se verum ejus Juramentum fuisse juramento & ipsi affirmanto.

¶ *Quales esse debent purgatores.* Cap. 9.

PUrgatores omnes (ut usitatum vocabulum sumamus) optimæ sint existimationis & perspectæ virtutis, ne perjurii cadat in illos ulla suspitio. Et qui pro aliena innocentia, præsertim suspecta, juramento spondebunt, debent talem cum illo habuisse consuetudinem & usum, ut illius vitam & conversationem norint, præsertim à tempore quo crimen commisisse dicitur.

¶ *Numerus purgantium.* Cap. 10.

NUmerus purgatorum Judicis arbitratu constituetur, hoc tamen retento, quod celebrior persona pluribus, obscurior paucioribus uteturintegritatis suæ testibus. Et Episcopus aliquos Episcopos, & presbiter presbiteros, & similiter omnis defensor ex suo ordine pro se testem adferat.

¶ *Nemo debet cogi ad alium purgandum.* Cap. 11.

QUanquam homines in certis causis ad testimonium dicendum inviti possunt trahi, tamen neminem volumus ad purgandum aliquem nolentem trudi.

¶ *Quando possit ab indicta purgatione appellari.* Cap. 12.

CUm Episcopus plures congregari jubet purgantes liberatores, quam æquitas aut defensoris conditio fert, potest appellatione Judicis acerbitatem declinare.

¶ *Quomodo purgandi sint infames.* Cap. 13.

QUi superiorum criminum convicti jure fuerint infames effecti, quoniam ad jurandum adhiberi non possunt, juramento non liberabuntur, sed illa ratione quæ judici videbitur optima.

¶ *Ritè purgatus per Judicem famæ bonæ restituatur.* Cap. 14.

CUm is qui reus sit criminis factus legitimè se liberaverit, Judex debet illum integrum & innocentem publicè pronuntiare, communem ut hominum improborum, & licentiosam dicacitatem authoritate solemnis sententiæ refutet. Itaque cum persona quæ rea fuit judicio plenè satisfecerit, diploma Judex conficiat muneris sui signo conclusum, in quo satisfactio reæ personæ continebitur. Et cum reus hoc postulaverit, Judex primo quoque commodo tempore tradendum curet.

Occa-

¶ *Occasiones criminum prohibendæ sunt.* Cap. 15.

QUoniam ad maxima sceleragradibus quibusdam ascenditur, Judexhos ipsos gradus incidat,& causas amputet, quibus flagitia proficisci solent: Nominatim qui suspectus est adulterii, Judex domus omnis usu interdicat, quo possit cum hujusmodi fœmina intercedere; quod Judicis mandatum si neglectum fuerit, pœnam à se priùs institutam sine ullo favore contemptori infligat.

¶ *Pœna se non rite purgantis.* Cap. 16.

SI defensor purgationem omnibus partibus implere non possit, convictus existimetur ejus criminis cujus antè quæstio fuit.

Pœnarum varietas. Cap. 17.

CUm reus accusatione convincitur, illum gravis pœna subsequatur, sed inquisitione si reus est evictus nonnihil illi debet parci, & magis etiam adhuc impensiusque indulgeatur, cum plenè se non potuit purgare. Quanquàm enim in his omnibus culpa deprehenditur, tamen ut peccatorum, ita pœnarum gradus constitui debent.

Quantum efficiat purgatio. Cap. 18.

QUi purgationem inchoatam & curtam adducit, si causa sit hæresis, non statim illum ad civiles magistratus oportet abripi, quoniam hujusmodi destitutio, præsumptio aut præjudicium potiùs quam judicium est, & non directam veritatem, sed obliquam habet probabilitatem.

Defensor quando sit beneficio privandus. Cap. 19.

SI quis ex Ecclesiastica secta, cum adversa fama laboret, se purgare debet, Ecclesiastico beneficio non excludatur, donec defensionem instituerit. In ea verò si defecerit, tum demum illi beneficium eripi potest, si peccati magnitudo tantam pœnam requirat.

¶ *Judex purgantibus se potest aliquando subvenire.* Cap. 20.

CUm pauper, obscura, vel ignota persona, non potest satis copiosè defensionem instruere, Judex & hominis & causæ conditione perspecta, potest illum sublevare. Nam aut paucipores viros aut fœminas Judex, si velit, admittet, aut etiam solo rei juramento contentus esse poterit.

¶ *Superstitiosas purgationes non valere.* Cap. 21.

QUoniam quantùm licet veritatem consectamur, illa prisca defensionis remedia non admittimus, quæ ratione & probabilitate non nituntur, sed in omnes partes æquè propendent, & insontes plerunque condemnant, ac sontes absolvunt, qualia sunt singularia certamina, flammæ, ferrum candens, vel effervescens aqua. Nam isto modo primùm Dei tentabatur omnipotentia, deinde non certitudinis hæc aut veritatis indicia, sed casus erant, & fortunæ ludibria. Omnis igitur hujusmodi pellatur anilis & superstitiosa defensio, quam si quis posthac attulerit, arbitratu judicis ab illo pœna sumetur. Et tamen legitimam idem defensionis formulam pòst adhibere cogetur.

DE DILAPIDATIONIBUS.

¶ *In propriis Ecclesiis proprietarii debent vicario domum providere.* Cap. 1.

Ecclesia quæ certum aliquem habet ac hæreditarium possessorem, si nec ædes habeat in quibus se vicarius collocare possit, nec conveniẽtem areã in qua domus antè posita fuerit, si hæreditarius possessor, vel ædibus aliis, vel prædiis quibuscunq; fuerit instructus ad jus Ecclesiæ pertinentibus, vel ipsas ædes, vel solũ in quo domus ædificari possit, Episcopus ad vicarium authoritate sua sevocet, providens in hoc ut vicarius omni ex parte satis aptè commodéq; habitabit. Et hæc quidem habitatio vicarii procedat impensis hæreditarii possessoris Ecclesiæ, ut intra triennium postquam ab Episcopo admonitus fuerit perfectè extruatur. In quo si possessorem Episcopus repugnare viderit, & duræ tractationis causam esse crediderit, vel Ecclesiæ fructus ab illo distineri curet, vel pœnis illum Ecclesiasticis devinciat. Quòd si fortè nec proprius Episcopus satis ipse vigilaverit, primarius Episcopus, quem Metropolitanum vocant, hanc causam, cum ad se perferetur, cognoscet ac dijudicabit.

¶ *Quomodo ruinosæ domus sunt reficiendæ.* Cap. 2.

QUibus autem in parœciis domus pastoribus aut eorum vicariis præparatæ aliquando fuerint, sed priorum ministrorum vel negligentia vel nuditate aut planè ruerint ad terram, aut diuturnitate temporis non sit reliquum quo refici possint, Episcopus septimam annui portionem emolumenti apud sequestros faciet seponi, donec aut do-

mus nova omnibus ministri necessitatibus apta denuo construatur, aut ruinosæ ædes sartæ tectæ fiant.

¶ *Qui silvas Ecclesiarum vastant quomodo corrigendi sunt.* Cap. 3.

SI quis arbores, arbusta, lucos, nemora, silvas, saltus, fruticeta, vel hujusmodi quascunq; lignorum opportunitates ullius ad se beneficii Ecclesiastici jure pertinentes, licentiosiùs quàm necessitas tulerit sine consensu proprii illius ditionis Episcopi vendiderit, succiderit, amputarit, asportarit, aut quocunq; modo corruperit & vastarit, precium is universum, & æstimationem omnium hujusmodi lignorum distractorum & eversorum in cistam pauperum attributam plenè conferet: Præterea tantum in hac re successori satisfaciet, quantum Episcopus æquum esse putabit: & prorsus talis erit hujus causæ ratio, qualis priùs ædificiorum reficiendorum à nobis posita est.

¶ *De illis qui morientes ædificia relinquunt ruinosa aut eversa.* Cap. 4.

ITidem qui præsens est Ecclesiæ præfectus, cum migrat è vita, si superiorem templi partem quam Cancellam vocant, aut alias quascunque domos ad Ecclesiæ jus spectantes, ruinosas aut vitiosas reliquerit, aut prorsus eversas, successori licebit vel hæredes vel bonorum administratores, quocunq; nomine censeantur, propter damna ruinarum & vitiorum jure convenire. Spatium tamen possessionis erit considerandum. Quod si totum annum non impleverit, nihil postulabitur: quantum autem anno fuerit amplius, ad id æquitas Judicis Ecclesiastici satisfaciendi rationem accommodabit. Deniq; si quicquam in talium ædificiorum impensas quacunq; ratione collatum fuerit, & id nunquam

in

in eo minister collocarit, hæredes vel administratores annumerent Successori, ut is in tam bona causa superioris fidem liberare possit.

Ruinæ ædificiorum ad Ecclesias Cathedrales, Collegia, & Xenodochia pertinentium, quomodo resarciendæ sunt. Cap. 5.

EAdem quoq; sit lex de reædificandis & reparandis domibus quæ assignantur illis Ecclesiarum beneficiariis, quos vulgo Decanos, Præbendarios, magistros collegiorũ, aut hospitalium vocant, sive in urbibus, sive ruri sitæ fuerint: Illos tamen ad ædificia ruri sita, vel denuo extruenda vel reficienda astringi nolumus, quæ citra viginti recentissimos annos inhabitata non fuerint.

DE ALIENATIONE ET ELOCATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

Nihil alienari posse ab Ecclesia sine consensu ordinarii, & patroni. Cap. 1.

QUi gubernandis Ecclesiis admoti sunt, nec domos, nec agros, nec ullas Ecclesiarum possessiones aut fructus vendent, permutabunt, donabunt, aut quocunq; genere contractus vel conventionis in omne tempus abalienabunt, nisi suum patronus & Episcopus consensum interposuerint.

¶ *Elocatio quemadmodum fieri debeat.* Cap. 2.

OMnis emolumentorũ Ecclesiasticorum locatio consistat intra decẽ annos, vel ultra decenniũ non excurrat,

rat, nec Successorum tempus occupet. Nam experientia sæpissimè tales locationes coarguit, quod successorum in illis jus apertè violatur ab his qui priores in illo munere versati sunt, nisi fortè necessaria fuerit vel utilis locandi causa propter ædiſi ruinas, aut agrorum sterilitatem, & conductores se obligaverint ad domos reficiendas, & agros excolendos. Et interim integrum Ecclesiæ pendant annuum vectigal quod superioribus temporibus repræsentari solebat. Sed nec ista quidem ullo modo procedant, nisi patronus in illis & Episcopus consenserint.

¶ *Quatuor alienationis causæ.* Cap. 3.

NOlumus ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum descendi, nisi subjecta sit aliqua causa quæ necessitatem alienationis afferat. Prima tum intelligetur, cum Ecclesia sic obruitur ære alieno, legitimis ut vectigalibus annuis se ipsam sustentare non possit. Deinde si grandis & evidens utilitas invitabit, statum annuum Ecclesiarum meliorem fieri facilè patimur. Pietatis etiam accedit tertia causa, liberandorum è servitute Christianorum populorum, cum in potestatem hostium nostræ Religionis inciderint. Quarta ponatur alienationis & ultima ratio, cum aliquid desecatur hujusmodi in quo premebatur Ecclesia potiùs quàm adjuvabatur. Neq; tamen ex his ipsis causis alienationem Ecclesiæ bonorum sequi placet, nisi sententiam Episcopus suam & patronus ad causam accõmodaverint.

¶ *Pœna contra leges alienantium.* Cap. 4.

QUoties autem permutatio, locatio, vel alienatio bonorũ Ecclesiæ secùs instituitur, quàm his legibus nostris constitutum est, primùm ipsas conventiones universas ad nihilum recidere volumus, deinde Clericos ipsos hujusmodi

jusmodi conventionum ulla ratione participes sacerdotii excludi placet.

DE ELECTIONE.

ELectionum vel in principibus Ecclesiis, quas Cathedrales vocant, vel in Collegiis & Scholasticorum cœtibus institutarum, prorsus eadem formula sit, quæ domesticis singulorum Collegiorum institutis sancita est, nisi fortè quicquam illis reperiatur, quod Reformatæ in hoc Regno nostro Religioni, aut his nostris constitutiouibus Ecclesiasticis repugnet.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS *sine diminutione conferendis.*

¶ *Nullæ debent esse mercaturæ Ecclesiasticorum munerum.* Cap. 1.

FRustra legum est omnis præstantia, nisi flagitiosa quorundam & immanis avaritia, juris salubritatem ad sua commoda detorquentium, certis pœnarum vinculis cohibeatur Etenim cùm hoc à majoribus nostris præclarè constitutum fuerit, ut Ecclesiarum Ministris uberes, & illorum conditioni convenientes fructus suppeditarentur, ex illis locis, ad quorum moderationem appositi fuerint, recentioribus hisce temporibus, multorum tanta cupiditas Patronorum invenitur, o-

pes undique colligendi, Beneficiis ut ex ſuis, cum illa collocant, aliquam vel ad ſe vel ad ſuos particulam ſevocent.

¶ *Quotuplex ſit mercatura munerum Eccleſiaſticorum.* Cap. 2.

QUidam fructus Beneficiorum ipſi colligunt univerſos, & eorum omnia emolumenta vel ſibi vel ſuis ex pacto reſervant; Eccleſiæ miniſtris penſiones certas quaſdam aſpergentes, & illas multò minores quàm ratio beneficiorum poſtulat: alii paulò mitiùs agentes, ſolam hujuſmodi terram ſibi pacto ſeponunt, quæ cenſeri poteſt & vulgò Gleba dicitur. Nonnulli domos accipiunt & ædificia quæ ſolebant miniſtris concedi: Reliqui penè omnes à miſellis miniſtris vel annuam penſionem comportant, vel, quas ipſa ratione debent, Decimas deducunt, vel aliquam certis Beneficiis illorum plagam vel apertam vel occultam injiciunt, uſque adeo, propemodum ut nulli ſint qui beneficia integra & illibata cum univerſo jure commodorum omnium gratis in miniſtros Eccleſiarum conferant.

¶ *Pacta in muneribus ſacris interpoſita non valere.* Cap. 3.

SUperiorum igitur difficultatum ut aliqua poſſit eſſe levatio, volumus & jubemus, ut ſive beneficia, ſive quæcunque ſint aliæ dignitates Eccleſiaſticæ, gratis condonentur, nec quicquam in illis ſit ulla ratione præciſum: & quicquid illo modo pactum aut conventum fuerit inter Patronos ipſos, & illosquorũ futura beneficia vel dignitates ſunt, ſive ſit inter illos ſolos actũ, ſive per aliõs irrepſerit, utrinque ſuam ad id operam interponentes, omnia hujuſmodi pacta & conventa, vel ab ipſis, vel ab aliis, illorum reſpectu, quacunq; ratione vel jam inſtituta, vel quæ poſthac

hac instituentur, præsentis authoritate legis tolli præcipimus, & ad nihilum recidere.

¶ *Inquisitio Pactorum qualis esse debeat.* Cap. 4.

PLacet etiam quoties aliquis Ordinarius se repræsentat, ut priusquam ab illo fuerit ad ullam dignitatem Ecclesiasticam admissus, in illum Ordinarius inquirat, & quantum potest odoretur & pervestiget, an ulla fuerint pacta vel conventa hujusmodi qualia priùs posita sunt; & in illo volumus ab Ordinario requiri juramentum ejus qui admitti postulat, & non ejus solùm, sed quorumcunque aliorum quos aliquid in hoc negotio credit intelligere, ne solis juramentis Ordinarius, sed aliis omnibus viis rectis & legitimis veritatem hac in re persequatur.

¶ *Ordinarius ex probabilibus conjecturis purgationem judicet.* Cap. 5.

QUum Ordinarius ad plenam & perfectam probationē Ministrorum pactorum pervenire non potest, & tamen ex negotii progressu vel ipse per se probabiliter suspicatur illa subesse, vel id ex credibilibus aliorum sermonibus conjectat, personam se offerentem non admittat, donec Canonum præscriptis se ritè perpurgaverit.

¶ *Pœna pacisicentium qualis sit.* Cap. 6.

ORdinarius si certò cognoverit ulla ratione, quòd quisquam vel Beneficium, vel quamcunque dignitatem Ecclesiasticam iniquis pollicitationibus redemerit: Primùm evocabit ad se tam Patronum, aut Patroni vicarium, quam ipsum qui vel Beneficio vel dignitate sit donatus Ecclesiastica: Deinde cùm illorum mercaturam manifestis argumentis coarguerit & convicerit, personam donatam be-

neficio vel dignitate statim de loco ejiciar, ad quem deviis & perversis itineribus obrepserat; quoniam quum Simoniæ labem in se conceperit, in sacris rebus pretium interponens, non solum præsente conditione per scelus occupata carere debet, sed etiam nullius ex tempore illo Beneficii, vel dignitatis, vel muneris Ecclesiastici particeps erit.

DE DIVINIS OFFICIIS.

¶ *De temporibus divinorum Officiorum in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiis celebrandorum.* Cap. 1.

IN principalibus Ecclesiis, quas Cathedrales vocant, & in Collegiis, divina volumus officia quotidiè peragi, quemadmodum ratio dierum postulabit, vel Professorum vel Festorum. Quapropter antemeridiano quopiam convenienti tẽpore preces quas appellant Matutinas recitari placet, appositis etiam illis quæ pro Communionis officio præscripta sunt. Et intercurrat in singulis diebus Mercurii & Veneris illa solennis supplicatio quæ Litania nominata est. Similiter tempore pomeridiano Vespertinæ preces adhibeantur.

¶ *Qui divinis Officiis interesse debeant*, Cap. 2.

OMnes quos Canonicos vocant, & Clericos, qui quidem Ecclesiarum impensis sustentantur, ad statas preces conveniant, tam matutini quàm pomeridiani tẽporis, & illis indies intersint, nisi justã absentiæ possint excusatio-

sationem afferre. Cæteri verò si non comparuerint, arbitratu Decanorum, vel illis absentibus suorum vicariorum, certa pecuniæ summa plectantur; sed tamen diebus Festis illorum sanè studiis parcimus, qui doctrinæ causa se collocaverunt in Academiarum Collegiis, quos tamen & ipsos, in omnibus Feriis, universos, in sacris officiis adesse præcipimus, nisi ob concionandi munus abfuerint.

¶ *De sacra Communione administranda in Dominicis, & Festis diebus.* Cap. 3.

Diebus dominicis & festis Ecclesiarum, quas Cathedrales vocant, hunc in divinis Officiis ordinem esse jubemus, ut absolutis precibus matutinis, & decursa supplicatione, quam appellant Litaniam, Communio succedat: in qua faciliùs ut procedi possit, in nomine Dei cohortamur, & per ejus gloriam vehementer obtestamur, primùm Episcopus ipse, si fieri potest, ut adsit, deinde Decanus & Archidiaconus, cum ipsis Canonicis & reliquis omnibus Clericis qui participes sunt bonorum illius Ecclesiæ, pariter ad communionem cum ministro se congregent, tum ut exemplo suo cæteros ad idem officium invitent, tum ut in hac nota sciri possit, quod ipsi viva veraq; sint Christi & Ecclesiæ membra.

¶ *De sacrarum concionum tempore.* Cap. 4.

Conciones autem in his Ecclesiis antemeridianas sanè omnes tollimus, ne quisquam illarum occasione legitimè desit suæ Ecclesiæ: pomeridiani verò temporis hora secunda concionibus usq; ad tertiam serviat, & statim ad vespertinas preces descendatur.

¶ *De sacrarum lectionum pronuntiatione, & Psalmorum cantu.* Cap. 5.

In divinis capitibus recitandis, & Psalmis concinendis, Ministri & Clerici diligenter hoc cogitare debent, non

solùm à se Deum laudari oportere, sed alios etiam hortatu & exemplo & observatione illorum ad eundem cultum adducendos esse. Quapropter partitè voces & distinctè pronuntient, & cantus sit illorum clarus & aptus, ut ad audi torum omnia sensum, & intelligentiam proveniant; Itaque vibratam illam, & operosam Musicam, quæ figurata dicitur, auferri placet, quæ sic in multitudinis auribus tumultuatur, ut sæpè linguam non possit ipsam loquentem intelligere. Tum auditores etiam ipsi sint in opere simul cum Clericis & Ministris certas divinorum officiorum particulas canentes, in quibus Psalmi primùm erunt, annumerabitur fidei Symbolum, & gloria in excelsis, decem solemnia præcepta, cæteraq; hujusmodi præcipua religionis capita, quæ maximum in communi fide nostra pondus habent: hiis enim piis divini cultus exercitationibus & invitamentis populus seipsum eriget, ac sensū quendam habebit orandi, quorum si nullæ nisi auscultandi partes sint, ita friget & jacet mens, ut nullam de rebus divinis vehementem & seriam cogitationem suscipere possit.

¶ *Ordo servandus in Parochiis urbanis.* Cap. 6.

EAdem Parochiarum in urbibus constitutarum erit omnis ratio, Festis & Dominicis diebus, quæ priùs Collegiis & Cathedralibus Ecclesiis (ut vocant) attributa fuit, nisi quòd concionandi partes antemeridiano tempore, si fieri potest, obibuntur, aut Homilia saltem Concionis locum occupabit, deinde cœna Domini sumetur. Temporibus autem pomeridianis concio solis in Cathedralibus Ecclesiis instituetur, aut hujusmodi convenientibus locis, ad quam ab omnibus undiq; concurri volumus. Itaq; manè Parochiarum ministri suum populum commonefaciant

ut

ut ad id se præparent. Sed in frequentissimis & celeberrimis urbibus, ubi magnus est Parochiarum numerus, & immensum inter eas intervallum, & spissæ populorum catervæ, pomeridianis concionibus propter Parochiarum situs & hominum abundantiam locum concedimus.

¶ *De Cœna Domini sumenda.* Cap. 7.

HOc erit omnium Ecclesiarum commune, quod nisi gravis aliqua causa postulet, Cœnam Domini solùm in Dominicis diebus & ad aliquam Domini propriam memoriam spectantibus sumetur: & nec eo quidem tempore procedi sinimus, donec legitimus numerus se obtulerit illorum qui Domini cœnæ participes erunt. Qui verò communionem accepturi sunt, pridiè debent in præsentia ministri se collocare, tempus ut sumere possit ad excutiendas illorum conscientias, & cum illis ut agat, si quid ab illis improbè vel superstitiosè gestum fuerit, in quo Ecclesiæ communis aliqua fuerit offensio: Deinde fidem etiam illorum exploret, ut vel inscitiam illorum corrigat, vel contumaciam terreat, vel dubitationem confirmet. Nam ad sacrosanctam Domini mensam nemo debet assumi, cujus fides omnibus partibus perfecta non sit. Itaq; si quis ex illis, qui se ad Domini mensam præparant, in aliqua religionis parte vacillet, aut conscientia sauciata sit, liberum aditum ad Ministrum habeat, & ab illo consolationem & levationem ægritudinis capiat, & si plenè se Ministro probaverit, si opus fuerit, solvatur.

¶ *Deficiente Cœna Domini quid faciendum.* Cap. 8.

SI mensæ Domini legitimus convivarũ numerus defuerit, nullã potius quàm solitariã esse volumus: sed Minister ingratã & impiam populi negligentiam acriter objurgabit,

jurgabit; quòd ab usu saluberrimi pretiosissimique Sacramenti se removeant, nec ullo modo convenire solus ut in convivio, propter multos instituto, sedeat, sed has à Domino singulares animorum delicias, ad Christianam quandam omnium communitatem piorum relictas fuisse docebit: quòd si divinissimum hoc mentis pabulum immani scelere contemnant, vel horribili ingratitudine deserant, suam nullam, sed illorum maximam & flagitiosam esse improbitatem; à se quidem omnia suppeditata esse, cœlestis ut iste cibus expediretur, angiq; se vehementer quòd illorum barbarus, & prophanus vel stupor, vel fastus epulas tam pias & necessarias distulerit, & se ab illis maximopere contendere, proximum ne Diem Dominicum ullo modo prætermittendum existiment. Præterea pauperum illis causam diligenter commendet, ut illorum necessitates sublevent.

¶ *Pomeridiano tempore quid faciendum sit.*

Cap. 9.

POmeridiani temporis horam primam Minister explicando Catechismo tribuat, & in ea re vel integram horam ponat, vel aliquid eo amplius, si videbitur, modò concioni non fit impedimento quam in Ecclesia Cathedrali populus expectabit; omnino enim illam præteriri non placet aut destitui. Catechismum pertractet vel ipse Parochus, vel ejus vicarius, & magnam in eo diligentiam adhibeat, summam enim utilitatem & præstantem usum habet in Ecclesia Dei frequens inculcatio Catechismi, quẽ non solùm à pueris edisci, sed etiam ab adolescentibus attendi volumus, ut in summa Religionis erudiantur, & puerorum piam assiduitatem sua præsentia cohonestent. Catechismo concluso, statim succedat Baptismus, si qui fuerint ad id præparati pueri.

¶ Pre-

¶ *Precibus vespertinis ratio collationum & disciplina succedunt.* Cap. 10.

CONfectis precibus vespertinis, ad quas ab omnibus post concionē in propriis Ecclesiis attendendas concursus erit, principalis Minister, quem Parochum vocant, & Diaconus, si fortè præsentes fuerint, vel absentibus illis, Ministri vicarius & seniores cum populo rationem pecuniarum ineant ad pios usus sepositarum, quomodo possit rectissimè collocari, & ad idem tempus disciplina reservetur: quorum enim publica fuit aliqua perversitas, quæ communem in Ecclesia offensionem incurrerit, ad peccatorum cognitionem revocentur, & eorum pœnas publicè dent, ut Ecclesia illorum salutari correctione conformetur. Deinde Minister cum senioribus nonnullis secedens consilium capiet, quomodo cæteri, quorum pravi mores esse dicuntur, & flagitiosa vita deprehenditur, primùm fraterna quadam charitate juxta Christi præscriptum in Evangelio conveniantur à sobriis & frugi viris; quorum monitis si se ipsi correxerint, Deo gratia diligenter est habenda: quod si perrexerint in scelere, pœnarum ea sunt acerbitate comprehendendi, quam Evangelio videmus illorum contumaciæ præparatam esse.

¶ *Excommunicatio quomodo sit exercenda.* Cap. 11.

QUum autem Excommunicationis fulmen vibrandum erit, primùm Episcopus adeatur, & ejus intelligatur sententia: qui si consenserit, & authoritatem suam apposuerit, Excommunicationis formula coram universa peragatur Ecclesia, disciplinam ut in eo veterem, quantum fieri potest, introducamus.

¶ *Ecclesiarum rusticanarum ritus.* Cap. 12.

IN Ecclesiis rusticanis Festorum dierum matutinis temporibus Homiliam in Communionem intexi volumus,

pomeridiano tempore descendetur ad Catechismum, ad quem ab illis etiam qui grandiores sunt attendi placet, & explicationē Catechismi relegamus ad Vicariū. Principalis autem minister, quem Parochum dicimus, post conclusum Catechismum statim ad populum concionabitur, & illa finita preces vespertinæ succedent, & ad extremum adjicientur disciplinæ & procurationes nummorum publicè collectorum.

¶ *In Sacellis sacra non sunt tractanda.* Cap. 13.

NOlumus in Sacellis, nisi singularis quædam necessitas urserit, administrari Sacramenta, nec reliquam in illis adhiberi sacrorum officiorum rationem, quoniam ita futurum esset ut proprias homines Ecclesias destituerent, & in solitudine relinquerent. Convenientissimum autem est fidei nostræ communitati, singulas oves ad proprios pastores sevocari, separatimq; ab illis omnia pietatis & divini cultus adjumenta requiri.

¶ *In Privatis domibus Communio non celebrabitur.* Cap. 14.

COmmunionis officium in domibus separatim non instituetur. Nam sæpe fit ut in angulis privatarum ædium errores & pestilentes opiniones insurrentur, & ita sæpenumerò contingit, ut sacrosancta Dei cœna, quæ singularis est per se amoris, & conjunctionis, & charitatis testis & nota, quum in secessus privatarum ædium distrahatur, non solum omnem propriam amittat & insitam vim, sed etiam hominum immani scelere degeneret in litis occasionem & discordiæ.

Quid

¶ *Quid in ægrotis & familiis nobilium teneri debeat.* Cap. 15.

ÆGrotantibus tamen & vehementer debilitatis, Cœnam Domini flagitantibus negari nolumus. Principibus etiam & honoratis personis, quorum affluens in ædibus & copiosa multitudo, quibusque non licet ipsis, occupatione publica distractis, in cõmunibus Ecclesiis versari Cœnam dominicam domi percipere licebit, & omnem ibi reliquam sacrorum officiorum rationem cum domestico Ministro pertractare. Proviso, quod hoc privilegium nullam communis Ecclesiæ Pastoris utilitatem impediat.

¶ *Quæ communiter in omnibus Ecclesiis observanda sunt.* Cap. 16.

DIligens autem inprimis cautio semper adhibeatur in Ecclesiarum omni genere, tum etiam in nobilium hominum familiis, denique locis universis in quibus sacra peraguntur Officia, ne quicquam contra præscripta procedat, & formulas illius libri nostra communi lingua scripti, quem proprium & perfectum omnis divini cultus judicem & magistrum esse jussimus: qua in re quicunque peccaverint, Ecclesiasticorum judicum arbitratu pœnas culpæ magnitudini pares sustinebunt. Si quæ verò alia incurrent vacua tempora, præter hæc quæ nos posuimus divini cultus, visitatione & consolatione debilium, ægrotarum, & afflictarum personarum cujuscunq; generis, & reliquis hujusmodi charitatis muneribus ea consumantur. Adhæc accedat institutio domesticorum, disciplinæ labor, & opera lectionis, & omnino talis in summa Festorum temporum partitio sit, ut universa in meditatione tractationeque rerum sacrarum & divinarum abeant.

DE ECCLESIA, ET MINISTRIS EJUS, ILLORUMQUE OFFICIIS.

¶ *De Ædituis.* Cap. 1.

AEdituus parochiarum alatur stipendio: Hujus erit pueritiam omnẽ parochiæ suæ sibi oblatam in Alphabeto & Catechismo vulgari lingua informare, ut pueri cognoscere incipiant & quid sit credendum, ac quomodo orandum, ac bene beateque vivendum. Qui autem id facere recusaverit, & per duos menses officium hoc suum neglexerit, per Episcopum aut loci illius Ordinarium, semel atq; iterum admonitus, amoveatur. Porrò si Parochiani consuetum stipendium vel subtractum, vel imminutũ detineant, censura Ecclesiastica ad id præstandum per Episcopum aut loci illius ordinariũ cogantur. Sin autẽ stipendii summa videbitur Episcopo nimium exigua, ejus erit pro arbitratu suo, amplitudinis parochiæ ratione habita, ex parochianorũ sumptibus facere auctiorẽ. Et hujus etiã munus est tẽpla purgata conservare, Biblia sacra, & Paraphrasin, ac reliquos libros Ecclesiæ, ne vel lacerentur vel corrũpantur, diligenter curare: campanas, quibus populus vel ad conciones vel ad preces publicas evocantur, vel quãdo pro agente animã orandum est, vel gravis alioqui ratio aut necessitas humanorum casuũ urget apto tempore pulsare; vestes, & pocula, & alia quævis ornamenta sacris usibus assignata, ut pura, & nitida sint prospicere: & si quid sit vel vetustate confectum, vel casu detritum, vel necessitate aliqua immutandum, Gardianos ejus rei in tempore admonere: aquam ad Baptismum adhibere: panem & vinum ad Sacrosanctã cœnam Domini celebrandã præparare, ac pastori tam in con-

jugio

jugio celebrando, quàm in cura & visitationis & funeris, & reliquis sacris functionibus omnibus, continentèr ministrare, & studiosè inservire. Quibus in officiis tuendis si parùm diligens deprehendatur, Parochi & Gardianorũ erit, eum ad munus suum aut revocare, aut alium, cum semel atq; iterum admonitus fuerit, in ejus locum substituere. Et ad eosdem, Parochum inquã & Gardianos pertinebit, cum munus hujusmodi vacaverit, idoneum ad illud assumere. Qua electione si cõsenserint, ipsorũ judicio res definiatur.

¶ *De Oeconomis sive Gardianis Ecclesiarum & sacellorum.* Cap. 2.

REs omnes in templo necessarias Oeconomi parochianorum sumptibus parabunt: sic Ædituo tradent, ut omnino provisum sit ne quid detrimenti Ecclesiæ bonis adferatur: populum Dei sic in ordinem redigent, ut cum aut precationes publicæ, aut conciones verbi Domini, aut lectiones sacræ in Ecclesia fiant, utq; dum aut injunctiones nostræ, sive Episcopi, aut statuta aut mandata quæcunque recitentur, aut sacramenta Domini ministrentur, prorsus nullus audiatur in cœtu obambulantium, altiùs legentium, precantium vel loquentium, aut quoquo modo aliter obstrepentium, tumultus. Quod si quispiam Concionatori in Ecclesia obstrepere, aut Presbytero ministranti obsistere, aut ordinem quemcunq; à nobis in Ecclesia institutum impedire ausit, Gardianorum erit eum ab Ecclesia extrudere, nec illi reditus ad Ecclesiam nisi per Episcopum concedetur. Episcopi verò debent censura quavis Ecclesiastica tanquam freno injecto, præfractos ejusmodi majorem ad morum gravitatem & modestiam contorquere, & Gardianos, nisi id fecerint, Ecclesiasticis pœnis devincire. Gardiani à parochianorum majori parte eligentur, ac singulis annis circa Festum Natalis Domini rationem pastori, ac

parochianis acceptorum & expensorum reddent. Et quoniam penes se detinent Ecclesiæ supellectilem, quæq; ipsi ab aliis qui ante se fuerunt in eo munere acceperunt, integra & illibata successoribus consignata relinquant. Et confectis rationibus si quicquam apud illos æris Ecclesiastici resideat, per censuras Ecclesiasticas id omne, citra Festum Paschæ proximè futurum, cogantur restituere. Gardianorum officium per parochianos impositum qui recusaverit, primo quoq; tempore decem solidos, secundo viginti, tertio quadraginta, ad Ecclesiæ operas persolvet. Ad visitationem ordinariam quamcunq; vocati si non accesserint & officium suũ præstiterint, arbitratu visitatoris punientur.

¶ *De Diaconis.* Cap. 3.

DIaconus erit patronus pauperum, ut languidos confirmet, soletur vinctos, inopes juvet, eritq; pater orphanis, patronus viduis, & solatiũ afflictis & miseris, quantum in illo est, omnibus. Nomina etiam pauperum Parocho diligenter deferet, ut ejus suasu Ecclesia tota permota necessitatibus illorum prospiciat, ne mendicantes latè fratres obambulent, eodem & cœlesti patre nati & pretio redempti. Pastoribus suis, à quibus adsciti fuerint in sacris precationibus & officiis perpetuò adsint. Lectiones ex verbo Domini quotidianas populo recitabunt, &, si quando necessitas incumbat, concionabuntur, & Sacramenta (modò id Episcopi aut Ordinarii permissione faciant) administrabunt. His officiis nisi diligenter eos invigilasse per Presbyteros Ecclesiæ demonstratum sit, Episcopi illos ad altiorem gradum non promoveant.

¶ *De Presbyteris.* Cap. 4.

IN Presbytero mores eluceant à D. Paulo descripti ad Timo. 3. & ad Titum primo. Gregem Dei sibi commissum verbo vitæ subinde nutriant, & ad sinceram tùm Deo

tùm

tùm Magistratui ac in dignitate positis obedientiam assiduè eliciant, & ad benevolentiam mutuam Christianos omnes sedulò invitent. Non sint Compotores, non Aleatores, non Aucupes, non Venatores, non sycophantæ, non otiosi, aut supini, sed sacrarum literarum studiis & prædicationi Verbi & orationibus pro Ecclesia ad Dominum diligenter incumbant. Nullus expers conjugii, mulierē sexaginta annis natu minorem in ædibus sinat diversari, nisi sit ejus mater, aut amita, aut matertera, aut soror. Presbyter quivis Biblia sacra habeat propria, non Anglicè modò, verùmetiam Latinè: vestis sit decens, & gravis, quæ Ministrum deceat, non militem, juxta arbitrium Episcopi.

¶ *De Archipresbyteris sive Decanis ruralibus.* Cap. 5.

DEcanatus quilibet Archipresbyterum rusticanum habeat, vel ab Episcopo vel Ecclesiæ Ordinario præficiendum. Munus autē ejus erit annuū. Hic tanquā in specula Presbyteris, Diaconis, Cardianis, & Ædituis, ut singuli quæ ad eorum munus attinent præstent, perpetuò invigilabit. De Idololatris & hæreticis, de Simoniacis, de lenonibus & meretricibus, de adulteris & fornicatoribus, de his qui duas uxores simul habēt atq; maritos duos, de Magis & veneficis, de calumniatoribus & Blasphemis, de Sodomiticis & ebriosis, de ultimarū voluntatum corruptelis & perjuriis, de injunctionum aut nostrarum aut Episcopi violatoribus, inquirat. Et vocandi ad se, examinandi horum scelerum suspectos authoritatem habeat. Omnem accusationis ortum, sive per famam publicam, sive deferentium testimonio probatum, vel suspectum, Episcopo aut ejus loci ordinario infra decē dies in scriptis proder. Qui autem venire ad eum recusaverit, per Apparitorem vocatus, tanquam

quam contumax censebitur: Episcopi voluntatem omnibus ejus Decanatus Ecclesiis sibi per literas significatam, quanta poterit celeritate subinde exponi curabit: alioqui subibit supplicium contemptus. Officii sui sexto quolibet mense Episcopum aut loci Ordinarium certiorem faciet, quot in ejus Decanatu conciones eo temporis spatio fuerint habitæ.

¶ *De Archidiaconis.* Cap. 6.

ARchidiaconus sit proximus post Episcopũ & ejus vicarium minister Domini, salvo tamen jure Decani quod ad Cathedralem Ecclesiam spectat. Ac propterea sit Presbyter, & in perpetuis excubiis, ut qui in functionibus sunt inferioribus diligenter suũ officium faciant. Sint itaq; oculi Episcopi. In Archidiaconatũ resideant, concionentur, pascant, visitent. Quæ si no præstiterint, nisi justam Episcopo reddiderint causam, ab eo censuris & pœnis Ecclesiasticis ad hujusmodi trudantur officia. Annis autem singulis bis, aut ad minimum semel Archidiaconatum suũ perlustrabit. Archipresbyteros, & inferiores reliquos Ministros omnes non solùm suorum admonebit officiorum, sed rationem etiam ab eis repetet, & de Templorum ac ædificiorum ruinis, & de thesauri pauperum distributione, & de bonorũ Ecclesiæ vel accessione vel decessione. Quod autem sive in his rebus, sive in illis quæ ad Archipresbyteri explorationem referuntur peccatum erit, per censuras Ecclesiasticas corrigetur. Ipse si se rectè non gerat, ab Episcopo castigandus pro meritorum ratione est: Archidiaconus etiam ante viginti dies post visitationem ejus absolutam, omnes populi querelas, omnes offensiones, omnes inferiorum Ministrorum errores, omnem deniq; actionum suarũ seriem Episcopo deferet, ut per eum, tanquã per oculi organum, quid rectè, quid secùs, per universam Diocesin geratur

ratur Episcopus videat. Et inter cætera illius erit Episcopo diligenter significare, quænam in dioceſi parochiæ ſint, ubi miſeris, egenis, & ægrotis non ſubveniatur, prout in Parliamenti conſtitutionibus nuper decretum eſt; ut ad officium ſedulò ac diligentiùs faciendum, cùm ordinarii, tum concionatorum monitionibus acriùs incitari poſſint.

¶ *De Eccleſiis Cathedralibus.* Cap. 7.

Ecclesia Cathedralis ſit ſedes Episcopi. Fundatorum ſtatuta jam abhinc antea recepta retinebunt pura & integra, quemadmodum verbo Dei non adverſantur, & noſtris conſtitutionibus de religione vel editis vel edendis non repugnant. Hic Episcopum viſitare, morum vitia emendare, flagitioſos punire, & apertè reluctantes de loco dejicere, fas eſto.

¶ *De decanis.* Cap. 8.

Decani quoq; cum in clero amplam dignitatem & locum honoratum in Eccleſia ſortiantur, presbyteri ſunto, viri graves, docti, & magna prudentia inſignes: Cathedrales Eccleſias juxta illarum conſtitutiones regant: Collegio tum canonicorum tum aliorum Clericorum Eccleſiæ majoris præſint, neque diſciplinam labi ſinant; provideantque ſumma diligentia, ut in ſua Eccleſia ſacri ritus ordine ac juſta ratione peragantur, utque omnia ordine ac convenienti gravitate ad fratrum utilitatem fiant: ut Archidiaconi foras, ſic illi domi, hoc eſt, in Eccleſia Cathedrali & ejus Canonicis & clericis, Epiſcopo ſint adjumento, quaſi duo ejus membra utiliſſima & neceſſaria. Quare neque decani abeſſe debent à ſua eccleſia, ſine maxima & urgentiſſima cauſa per proprium Epiſcopum approbanda.

¶ *De Præbendariis.* Cap. 9.

Præbendariorum erit non modò ſacris Eccleſiæ Cathedralis intereſſe, ac ea viciſſim juxta conſtitutiones

collegii peragere, ſed etiam efficere ut in ſuo collegio per doctum virum & peritum theologum ſacrarum literarum interpretatio ſuſcipiatur, atque id ter in hebdomada frequentetur. Hoc verò munus ipſi per ſe obeant, aut ſi quem ad id conduxerint, viginti libras annuatim ſuppeditent, ſive ex communibus collegii proventibus, ſive ex fructibus ſingularum præbendarum; aut, ſi commodius hoc videatur, certam quandam præbendam huic muneri addictam perpetuo habeant. Decanus item, & præbendarii, concionem habeant in Eccleſia Cathedrali ſingulis dominicis diebus, nec ab ea neq; à Theologica lectione licebit cuiquam Eccleſiæ Cathedralis clerico (ſi domi fuerit) abeſſe. Si verò abſit, ſtipendii unius mulcta feriatur, niſi Decano, vel ſi abſit, ejus vicario, cauſam abſentiæ ſuæ probaverit.

¶ *De Epiſcoporum gradu, ac dignitate in Eccleſia.* Cap. 10.

EPiſcopi, quoniam inter cæteros Eccleſiæ miniſtros locum principem tenent, ideo ſana doctrina, gravi authoritate, atque provido concilio, debent inferiores ordines cleri, univerſumque populum Dei, regere ac paſcere, non ſanè ut dominentur eorum fidei, ſed ut ſeipſos verè ſervos ſervorum Dei exhibeant, ſciantque authoritatem & juriſdictionem Eccleſiaſticam non alia de cauſa ſibi præcipuè creditam eſſe, niſi ut ſuo miniſterio & aſſiduitate homines quam plurimi Chriſto jungantur, quiq; jam Chriſti ſunt, in eo creſcant & ædificentur, atque ſi nonnulli deficiant, ad paſtorem Chriſtum Dominum reducantur, & per ſalutarem pœnitentiam inſtaurentur.

¶ *De obedientia Epiſcopis exhibenda.* Cap. 11.

OMnes in Eccleſia cum pacē ſectari debeant, & ad concordiam quantū licet incumbere, Epiſcopo qui Eccleſiæ

cleſiæ præficitur, non ſolùm Decanus, archidiaconus, archipresbyter, & reliqui miniſtri parebunt, ſed omnia etiam Chriſti membra ejus curæ commiſſa ſic ad ejus ſe voluntatem accommodabunt, ut & in his quæ juxta verbum Dei præcipiunt, & in illis etiam quæ mandabunt ad Chriſtianam diſciplinam, & ad noſtras Eccleſiaſticas leges pertinentia, paratiſſimè morem gerant.

¶ *De variis & multiplicibus Epiſcopi muneribus.* Cap. 12.

VErbi Dei ſanam doctrinam cum primis tum per ſeipſum, tum per alios, Epiſcopus tradat in ſua Eccleſia, quanta diligentia & ſedulitate fieri poteſt: ſacros ordines oportuno tempore conferat: ſed nemini, vel mercede conductus, vel temerè manus imponat: idoneos miniſtros ad Eccleſiaſtica beneficia inſtituat: indignos verò, ubi graves cauſæ ac morum perverſitas id requiſierint, ſubmoveat, & ab Eccleſiæ adminiſtratione dejiciat: Eccleſiæ teſtimonia & querelas de ſuis paſtoribus audiat: rixas inter miniſtros & Eccleſias ſubortas componat: vitia, & contaminatos mores, cenſuris Eccleſiaſticis corrigat: edicta ad meliorem vivendi formã præſcribat: eos qui pertinaciter & obſtinatè reluctantur, excommunicet: pœnitentes verò in gratiam recipiat: dioceſim totã, tam in locis exemptis quàm non, tertio quoque anno viſitet, & conſuetas procurationes accipiat: ut verò aliis temporibus quoties viſum fuerit, viſitet propter novos caſus qui incidere poſſint, ei liberum eſto, modò ſuis impenſis id faciat, & nova onera ſtipendiorum aut procurationum ab Eccleſiis non exigat: ſtatis temporibus annuatim ſynodos habeat: Illi quoque ſit curæ ut in Catechiſmo inſtructos certo anni tempore confirmet: teſtamenta quoque approbet. Et demum omnia & ſingula

Epiſcopis curæ ſunto, quæ ad eos ex Dei præſcripto ſpectant, & noſtræ leges Eccleſiaſticæ illorum cognitioni & judiciis commiſerunt.

¶ *De familia Epiſcopi.* Cap. 13.

QUemadmodum neceſſarium eſt ut Epiſcopus ſit gravibus & ſanctis moribus ornatus, ita quoque familiam ejus gravem, modeſtam & ſanctam eſſe oportet, & quantū officia domeſtica patiuntur verbi Dei ſtudioſam, quoniam poteſt *Eccleſiæ* Dei ad varias oportunitates eſſe utilis: nam ex illius domo, tanquam ex theſauro, ſunt depromendi viri qui muneribus *Eccleſiaſticis* præficiantur. *Et* cerè apud *Epiſcopum* (ſi fuerit is qui decet eſſe) dogmata fidei probè ac ſolidè cognoſcere poterunt, & *Eccleſiæ* regendæ illius exemplo magnam ſcientiam colligere. Caveat autem ne otioſos, vanos, impudicos, aut aleatores nutriat. Alioquin ſi domui ſuæ præeſſe non novit, quomodo *Eccleſiam* Dei curabit? *Et* ſacellanos habeat circa ſe concionatores, qui non tantum ſacram Scripturam diſſeminent, ruſticanorum negligentiam & ceſſationem explentes, ſed qui etiam ad illud munus obeundum alios ex familia, quantum ingenio quiſque contendere poteſt, inſtituant. Hæc ſanè una eſt ratio inter alios ſubveniendi tantæ inopiæ bonorum atque fidelium *Eccleſiæ* miniſtrorum. Sic inſtituta fuit Auguſtini domus, & cæterorum patrum qui populo Chriſti ſancti præfuerunt. Sint adhæc uxores *Epiſcoporum* nequaquam leves, otioſæ, voluptatibus implicatæ, ne pretioſè nimis exornentur. Nam his rebus pii homines mirum in modum offenduntur, & impii *Evangelicæ* doctrinæ inſolenter inſultant. *Et* quod eſt poſitum in uxoribus, ad filios etiam & ad filias attinet. Quæ verò comprehendimus iſto præſenti decreto de uxore, liberis, & familia *Epiſcopi*, pertinere volumus eadē æquabiliter ad decanos, archidiaconos, canonicos,

cos, parochos, & cæteros Eccleſiæ miniſtros. Et in ſumma vetent omnẽ ſuperbiam, faſtum, luxũ, & ineptias omnis generis, quibus eorum prædicatio & authoritas minui poſſit.

¶ *De collegiis Epiſcoporum curæ in Academia commiſſis.* Cap. 14.

ADhæc nonnulli Epiſcopi habent aliqua collegia ſcholaſticorum defenſioni atq; tutelæ ſuæ commiſſa. Ideo neceſſarium eſt, ut ea quàm diligentiſſimè curent, nam ibi quoq; Eccleſia habet ſuorum miniſtrorum alterum ſeminarium. Videant igitur diligenter, ut præfecti ſalubres in ſacra ſcriptura, & ſinceræ doctrinæ retinentes ſint, eamq; inter ſocios collegii ſui dilatent, hoſtes maximè pertinaces reprimendo & coercendo. Nam ſi hoc faciant, & ex altera parte ſtudioſos Evangelicæ pietatis tueantur, ſublevent, & juvent, brevi ſpatio temporis collegia perpurgabuntur. Non ſinat Epiſcopus in hujuſmodi collegiis lectionẽ theologicam, ſi qua ibi ſit, intermitti. Neq; ad illam patiatur admitti prælectorem, qui aut alienam doctrinam profiteatur, aut ſit nutantis & incertæ ſententiæ. Exploret an juſtus numerus Theologorum in collegio ſervetur. Inſpiciat interdum qui eorum proficiant, qui ſint ignavi, ut ſciat quos & quot miniſtros poſſit habere paratos cum neceſſitas Eccleſiæ poſtularit.

¶ *De reſidentia Epiſcoporum.* Cap. 15.

NEc etiam ullo modo Epiſcopi à ſuis Dioceſibus aut Eccleſiis debent abeſſe, niſi cauſa Eccleſiaſtica eos abducat, vel maxima reipub. neceſſitas. Et ubi in Cathedrali Eccleſia conſederint, parùm convenit ut Dominicis diebus in ſuis ſacellis officia ſacra tractent, vel ipſis interſint. Potiùs eant ad Cathedralem Eccleſiam, ibi vel ipſi concionentur, aut concionantem audiant, & ſacramenta in

communione vel ipsi ministrent, vel cum aliis percipiant. Sic enim coram eis res graviùs gerentur, & conventum sacrum præsentia sua ornabunt.

¶ *De coadjutoribus dandis.* Cap. 16.

QUemadmodum Episcopi ministris inferioribus, cum jam vel propter morbum desperatum, vel propter senectutem, Ecclesiam ministrare diutiùs non possint, adjutores apponere debent: sic etiam illis ob easdem causas ab Archiepiscopo dabuntur, modò noster consensus interveniat. Et sicut ipsi possunt in sua Dioceſi ministros pravos, gravibus causis id postulantibus, loco movere, ita ipsi sciant se, si corruptam doctrinam tradiderint, ac pertinaciter defenderint, aut Ecclesiam flagitiosis & dissolutis moribus offenderint, neq; moniti resipuerint, authoritate nostra deponendos fore, & ab Ecclesia submovendos.

¶ *De Archiepiscopis.* Cap. 17.

OMnia quæ de Episcopis constituta sunt, ad se pertinere Archiepiscopi quoq; ipsi agnoscant, & præter illa munus eorum est in sua provincia Episcopos collocare, cum à nobis electi fuerint. Utque totius provinciæ suæ statum melius intelligat Archiepiscopus, semel provinciam suam universam, si possit, ambibit & visitabit; & quoties contigerit aliquas vacare sedes Episcopales, Episcoporum locos non modò in visitatione, sed etiam in beneficiorum collocatione, & omnibus aliis functionibus Ecclesiasticis, implebit. Quin & ubi Episcopi sunt, si eos animadvertat in suis muneribus curandis, & præsertim in corrigendis vitiis tardiores & negligentiores esse, quàm in gregis Domini præfectis ferri possit, primùm illos paternè monebit; quòd si monitione non profuerit, illi jus esto alios in illorum loco collocare. Appellantium etiam ad se querelas

querelas causasque audiet & judicabit. Episcopi suæ provinciæ, si qua de re inter se contenderint aut litigarint, judex & finitor inter eos esto Archiepiscopus. Adhæc audiet & judicabit accusationes contra Episcopos suæ provinciæ: Ac denique si ullæ contentiones aut lites inter Episcopum & Archiepiscopum ortæ fuerint, nostro judicio cognoscentur & definientur. Archiepiscopi quoq; munus esto Synodos provinciales nostro jussu convocare.

¶ *De Synodis.* Cap. 18.

SI contigerit in Ecclesia gravem aliquando exoriri causam, quæ sine multorum consilio Episcoporum haud facilè possit finiri, tum Archiepiscopus, ad cujus provinciam ea causa pertinet, suos Episcopos ad provinciale consilium evocabit. Nec eorum quisquã recusabit venire, modò valetudine adversa non impediatur; quod si morbo gravatus fuerit, alium pro se mittat, qui & suam excuset absentiam, & de his quæ tractabuntur pro se respondeat & definiat. Verùm consilia hæc provincialia sine nostra voluntate ac jussu nunquam convocentur.

¶ *De Synodo cujuslibet Episcopi in sua Dioceſi.* Cap. 19.

QUilibet Episcopus in sua Dioceſi habeat Synodum, in qua cum suis Presbyteris, parochis, vicariis, & clericis, de his agat rebus quæ pro tempore vel constituenda sunt vel emendãda. Etenim aptissima profectò medicina Synodus est ad castigandam negligentiam, & tollendos errores qui subinde in Ecclesiis per diabolum & malos homines disseminantur, fietque ut per hujusmodi Synodos conjunctio & charitas inter Episcopum & Clerum augeatur & servetur. Nam ille suos Clericos propius cognoscet

&

& alloquetur, atq; illi vicissim coràm eum audient, & quando rei natura postulabit interrogabunt.

¶ *De tempore & loco Synodi Episcopalis.* Cap. 20.

SIngulo quoq; anno Synodus ab Episcopo indicetur, cuiq; diem conditam omnibus pastoribus qui sunt in agro per Decanos ruri sparsos indicari; sua verò in civitate, per concionatorem Ecclesiæ Cathedralis, & Schædas foribus affixas, diem hujusmodi pervulgari mandabit, toto mense priusquam Synodum instituat. Liberum verò ei sit quemcunq; diem voluerit ad id accipere post Dominicam secundam quadragesimæ. Et nihilominus prævideat ut parochi & vicarii tam maturè possint redire, ut die Dominica palmarum à suo populo non absint. Locum verò in Diœcesi deliget sibi Episcopus, quem omnibus qui accessuri sunt judicaverit esse commodissimum. A Synodo verò nulli ex clericis abesse licebit, nisi cujus excusationem Episcopus ipse approbaverit. Et ipse cum primis præsens adesto Episcopus, & (quemadmodum par est) Synodo præsit: quem si gravissima causa fortassis abesse coegerit, ejus loco Synodo præsit Archidiaconus.

¶ *De forma habendæ Synodi.* Cap. 21.

AD locum quem Episcopus assignaverit die condicta clerus adsit, & manè hora septima ad templū conveniat, primumq; in medio templo preces quæ Litaniæ vocantur solemni ritu decantabuntur. Deinde Archidiaconus, vel Episcopus ipse, si adsit, concionabitur, idq; lingua materna, nisi aliter causa legitima suaserit. Concione verò absoluta, communio celebrabitur, qua peracta, Episcopus ad locum aliquem interiorē cum toto clero migrabit, exclusis omnibus laicis, hiis exceptis quos ipse manere jusserit,

jusserit, omnibusque ordine considentibus maxima cum gravitate summaque pace de his agetur, quæ maximè necessaria visa fuerint.

¶ *De rebus in synodo Episcopali tractandis.* Cap. 22.

SI qua corruptio veræ doctrinæ obrepserit, coarguatur. In scripturis quæ cum animarum offensione perperàm exponuntur, juxta fidei orthodoxæ convenientiam explicentur: & quæ fortassis non intellecta conscientias perturbant, fideliter excutiantur, & declarentur. Ceremoniæ impiæ & superstitiosæ, si quæ illapsæ sint, auferantur. Ecclesiasticæ querelæ atque controversiæ audiantur, & quantum tempus feret, definiantur. Et inquiratur quam diligentissime an ritus omnium sacrorum officiorum juxta formam à nostris legibus præscriptam in Ecclesiis instituantur. Et in summa quæcunque ad utilitatem populi Dei visa fuerint pertinere, integra fide, ac singulari diligentia tractentur. Ibi de quæstionibus rerum controversarum interrogabuntur singuli presbyteri. Episcopus verò doctiorum sententias patienter colliget, neque dicentes, quoad finem fecerint, ab ullo assidentium sinat temere interturbari: nam (ut inquit Apostolus) Deus non est confusionis Deus, sed pacis.

¶ *De Synodo concludenda.* Cap. 23.

NOn permittat Episcopus ad multos dies proferri Synodum, sed illi quam primum fieri possit finem imponat, quia neque pastoribus neque gregibus conducit ut à se diu utrinque disjungantur. Sententiam itaque feret de litibus & querelis quæ illo brevi spatio temporis definiri poterunt. Alias quæ cognitione longiori opus habent, aut alio tempore ad suum tribunal judicabit, aut per archidiaconum cum Septembri mense ad visitandum diocesim pro-

ficiſcetur, quid decreverit, ſignificabit. De quæſtionibus quæ ad doctrinam & ceremonias ſpectant Canones partim tunc publicè proponet, partim archidiacono viſitaturo publicè proponendos committet. Decreta verò illius & ſententias vel in Synodo per ipſum, vel per archidiaconum in viſitatione divulgatas, inferiores miniſtri ut validas & firmas retinebunt. Quòd ſi quid in eis vel injuſtum, vel abſurdum contineri arbitrati fuerint, id ad Archiepiſcopum deferant, cujus erit, ab Epiſcopo conſtitutum, decretum, aut ſententiam vel confirmare vel emendare, ita tamen ut qua parte illa non correxerit archiepiſcopus, vigorem ſuum & robur retineant. Epiſcopus itaque in ſynodo ſuis promulgatis decretis atq; ſententiis, ad curam & ſolicitudinem commiſſi gregis clerum adhortabitur, & cum pace & ſpiritu Domini eorũ quemq; ad ſuas eccleſias reverti jubebit.

DE ECCLESIARUM Gardianis.

GArdianorum munera hæc ſunto, nempe Eccleſiarum bona, jura, debita & legata petere & adminiſtrare: adulteros, ſcortatores, inceſtuoſos, obloquutores, divinatores, hæreticos, ſimoniacos, perjuros, & alios gravi infamia notatos in parochia morantes, vel delinquentes, ac in Eccleſia vel cœmiterio rixantes ſive pugnantes, necnon eos qui divinis precibus, cultui ſacro, vel divinis myſteriis, diebus dominicis & feſtivis, nullis propediti legitimis impedimentis, intereſſe noluerint, loci ordinario denunciare: alios verò inter divina in Eccleſia tumultuantes, & confabulatione vel ſtrepitu ſacra myſteria perturbantes, duabus vicibus ut ſilc-

ant

ant adhortari. Quòd ſi eorum, vel unius eorum hortatibus non quieverint, infra menſem id loci ordinario, vel per ſeipſos, vel per literas, aut à rectore aut à vicario ſubſcriptas, ſignificari curabunt. Quæ crimina ſic per gardianos delata & legitimis modis probata, pœnis ordinariorum judicio infligendis puniri volumus abſque dilatione.

Præterea ad gardianos ſpectabit cancellæ, manſionum & domorum ad rectorem, vicarium, præbendarium, collegii vel hoſpitalis magiſtrum ſpectantium ruinas, & cæterarum rerum dilapidationes, defectus, & curatorum ſeu miniſtrorum negligentias, & errores loci ordinario ſignificare: Necnon Eccleſiæ parochialis navem, turrim, campanas, libros, & alia eccleſiæ ornamenta, ac ſacræ ſcripturæ ſententias parietibus inſcribendas, de pecuniis eccleſiæ, quoties opus fuerit, reparare, vel ut fiant procurare, nec nõ cœmiteriũ clauſura decenti cingere. Et ſi eccleſiæ pecuniæ ad præmiſſa perficienda ſufficere non valeant, licebit eis, cũ conſenſu quatuor graviorum parochianorũ per eos ad hoc deligendorum, collectam ſingulis parochianis, modò ſe ipſos ante alios ad juſtam portionem ſolvendam obligent, pro ratione facultatum imponere. Quòd ſi parochiani collectam hujuſmodi ad diem per eos conſtitutum ſolvere diſtulerint, ſeu contumaciter recuſaverint, & per gardianos loci ordinario dilati fuerint, ad ſolvendam collectam hujuſmodi cum expenſis moderatis per cenſuras eccleſiaſticas erunt per ordinarium compellendi.

Pecunia in pauperum ciſta piorum largitione repoſita, ad feſta Nativitatis Domini & Pentecoſtes, ac aliis temporibus, ſi neceſſitas poſtulaverit, per gardianos prædictos, de conſilio rectoris, vicarii, vel parochi, & aliorum quatuor ex primoribus parochiæ per eos ad hæc vocandorum, inter pauperes parochiæ aut in alios pios uſus, prout neceſſitas

postulat fideliter distribuatur. Gardiani ad ordinariorum visitationes, synodos, & capitula vocati, ut suarum administrationum rationem reddant, si necesse fuerit, & peccata in in parochiis in quibus degunt commissa referant, per se ipsos comparere non detrectent.

Si verò gardiani in denuntiandis, vel reparandis præmissis, vel in aliquibus aliis faciendis quæ ad ipsorum officium spectabunt, negligentes extiterint, & loci ordinario per facti evidentiam, famam publicam, vel alicujus fide digni relationem constiterit aliquid in parochia corrigendum esse aut reformandum, id (mulctatis ante omnia gardianis negligentibus pœna pecuniaria arbitratu suo pauperum cistæ parochiæ illius persolvenda) ordinarius ipse ratione sui officii, licèt à nullo instigetur, si voluerit, corrigere & reformare poterit.

In capellis verò ultra unum milliare ab ecclesia parochiali distantibus, eodem modo & forma gardianos eligi & creari volumus atque si in parochiis, paremque per omnia potestatem exercere valeant, & pœnis similibus subjaceant. Capellas verò ab ecclesiis parochialibus ultra unum milliare non distantes (nisi incolæ per inundationem aquarum ecclesiam parochialem multoties adire non valeant) penitus sublatas esse volumus, & ad ecclesiarum parochialium usum omnia illorum bona converti.

¶ *De parochiarum limitatione.*

SI in foro ecclesiastico de finibus parochiarum sit contentio, ea per judicem ecclesiasticum, testibus & aliis probationibus legitimis terminabitur. Et quo magis parochiarum limites omnibus semper innotescant, decernimus ut singulis annis minister ecclesiæ cum gardianis & aliis quatuor viris per gardianos nominandis, in hebdomada Pente-

Pentecostis totam parochiam circumeant, limitesq; & terminos pervideant, observentq; præsentes antiquos singularum parochiarum fines, in libroq; cõscribi faciant quem in Ecclesiæ cista tutò reponent. Et si minister, vel alius ex prædictis, huic nostro decreto contumax & inobediens unquam reperiatur, simulatq; de ejusmodi inobedientia visitatori aut alii judici cuicunq; idoneo constiterit, in decem libris mulctabitur communi Ecclesiæ scrinio persolvendis : Ecclesiæ quæ per fructuum exilitatem idoneum ministrum sustentare nequeant, per locorum Episcopos de consensu patronorum (salvis nobis decimis per Ecclesiam cui fuerit adjuncta annuatim solvendis) vicinioribus Ecclesiis uniri, & annecti permittimus. Quòd si patronus Ecclesiæ annectendæ prædictæ unioni consentire noluerit, tantum de suo patrimonio impertiat Ecclesiæ indigenti, quantum ad sufficientem sustentationem idonei rectoris, vel vicarii sufficere videatur, & ad id per loci ordinarium compellatur; latas insuper & spatiosas parochias, in quibus magna parochianorum pars ultra quatuor miliaria ab Ecclesia parochiali distare dinoscitur, dividi & separari per locorum ordinarios volumus, & inter diversos rectores, vel vicarios distribui, ut magis expedire visum fuerit, salvis semper nobis Ecclesiæ decimis priùs taxatis, ac patroni Ecclesiæ jure conservato.

¶ *De scholis habendis in Ecclesiis Cathedralibus.* Cap. 1.

UT verbi Dei cognitio retineatur in Ecclesia, quod absq; linguarum peritia vix fieri potest, ut inscitia inter nostros homines, & præsertim ministros Ecclesiæ non regnet, doctrina deinde quæ donum spiritus sancti est ut quàm latissimè propagetur, & deniq; ut feliciora ingenia literarum institutione nutriantur & crescant, volumus

ut quælibet Eccleſia Cathedralis per univerſum noſtrum regnum ſcholam habeat, ut pueri, qui prima jam elementa præceptorum labore perdidicerunt, in ſcholis publicis deinceps erudiantur. Atq; Decano & capitulo erit curæ, ut vel ex communibus Eccleſiæ redditibus, vel ex propriis fructibus præbendarum, ſingulo quoque anno viginti libræ numerentur ludi-magiſtro, aut, ſi hoc fieri non poſſit, certa aliqua præbenda ad hoc deſtinetur, ut integri ejus fructus ſcholæ præceptori cedant: qui licèt à ſuis diſcipulis nullam mercedem capiat, non tamen prohibebitur à ditioribus accipere, ſi quid obtulerint, à pauperioribus nihil omnino ſumet, cum maximè ad eorum inopiam ſublevandam in Eccleſiis hoc inſtitutum ſervari decrevimus.

¶ *A quo ſcholæ præceptor ſit dilegendus.* Cap. 2.

EXaminatio & admiſſio ludimagiſtri ad Epiſcopũ pertineat, quamvis in aliquibus Eccleſiis fortaſſis aliter fuerit hactenus conſtitutum. In eo verò probando hæc inprimis obſerventur. Sit in Evangelica doctrina ſincerus, moribus integris, vita gravis, grammatices & humanarum literarum peritus, atque valetudine tam firmus, ut docendi labores ferre valeat. Quæ ſi deeſſe viderit Epiſcopus, aut ſi priùs quidem ad tempus affuerint, poſtea vitiata eſſe & corrupta intellexerit, oblatum ſibi ad munus docendi non admittet, aut jam admiſſum ſubmovebit.

¶ *De viſitatione ſcholæ.* Cap. 3.

BIs unoquoq; anno loci ordinarius puerorum progreſſus in ſtudiis explorabit, atq; tunc ingenia quæ videbuntur ad literas nimis inepta, excludet, libros parùm idoneos doceri non ſinet, ſed utiliores præſcribet; præceptorem

rem verò ignaviæ aut nimiæ ceſſationis ſuſpectum coram Decano, vel eo abſente, Vicedecano, & duobus Præbendariis, arguet. Quod ſi bis fruſtrà fecerit, tertiò delinquentem loco movebit.

¶ *Quæ in arbitrio ſunt ludimagiſtri quoad ſcholam regendam.* Cap. 4.

RAtionem docendi ſervabit præceptor quam ad ingenium & indolem puerorum judicabit eſſe commodiſſimam, tot lectiones habebit quot eſſe utiles exiſtimaverit, pro conditione ac progreſſione ſcholaſticorum diſtinguet claſſes. Reliqua verò docendi, interrogandi, repetendi, ſtylum exercendi, tempora ſic diſpertiet, quemadmodum ratio videbitur illorum eruditionis, & ingenii poſtulare.

¶ *Quæ inſtitutio Grammatices retinenda ſit.* Cap. 5.

MAndamus etiam, ut in ſingulis ſcholis non alia ratio Grammatices in uſum aſſumatur, quam quæ jam olim à nobis propoſita fuit & approbata.

¶ *De Catechiſmo ante omnia tractando.* Cap. 6.

STatim poſt primorum perceptionem rudimentorum, ſinguli diſcipuli Catechiſmum Latinum diſcant, neq; ad ſedes priùs transferantur ſublimiores, quam ad Catechiſmi quæſtiones reſpondere valeant.

¶ *Quid in ſchola ſit agendum in primo ingreſſu matutino, & poſtremo egreſſu veſpertino.* Cap. 7.

QUamprimùm hypodidaſcalus aut ludimagiſter ingreditur manè in ſcholam, recitabunt omnes diſcipuli ſimul clara voce lingua vernacula duodecim capita fidei, orationem

rationem dominicam, & decem præcepta legis, & ad finem cujuſq; præcepti dicent, Domine miſerere, & hæc noſtris ſuggere cordibus, atque hoc itidem ſub noctem facient priuſquam ſcholam egrediantur.

¶ *De cura in diſcipulos diebus feſtis.* Cap. 8.

DOminicis autem & feſtis diebus conveniant pueri manè ad ſcholam, atque inde à ludimagiſtro ad templum deducantur, ac illic ſub ejus cuſtodia maneant, quoad ſacra fuerint abſoluta: idemq; pomeridiano tempore fiet, quando vel ad Catechiſmum, vel ad veſpertinas preces eundum erit: ſic enim cavebitur ne pueri temere à ſacris abſint, neve in templo ſtrepant, aut diſcurrant dum ſacra peraguntur.

¶ *De ætate puerorum admittendorum in ſcholam.* Cap. 9.

CUm pueri ſunt in ſcholam recipiendi, non ſint minores octo annis, neque natu majores quatuordecim.

¶ *De conditionibus admittendorum diſcipulorum.* Cap. 10.

NUllus puer in ſcholam recipiatur, qui non poſſit Anglicè apprimè legere, atq; Catechiſmum Anglicè editum memoriter recitare atque ſuum nomen propria manu ſcribere. Puer item qui non habet novum Teſtamentum Anglicum ne admittatur. Nam ludimagiſter curare debet, ut dominicis diebus in eo ſe pueri ad annum exerceant. Quod idem fiet poſt annum in novo Teſtamento Latinè conſcripto. Cætera verò de ludimagiſtris & puerorum inſtitutione à ſtatutis Eccleſiæ cathedralis petantur, ſi qua ibi ſint, modò his noſtris legibus non repugnent.

¶ DE

DE ACADEMIIS, ET PRIMUM de præfectis Collegiorum.

CAP. 1.

CUrent fundatores, ut præfecti posthac sint presbyteri, veramque religionem colant, & sanam doctrinam omnibus modis amplificent, & unoquoque anno singuli præfectorum in ecclesia academiæ propria aliquando concionentur.

¶ *De justo scholasticorum numero in Collegiis retinendo.* Cap. 2.

SCholasticorum præscriptus numerus à statutis non imminuatur: qui tamen si quando vel annonæ nimia difficultate, vel alia quapiam necessitate maxima retineri non poterit, attamen in theologica facultate omnino plenus & integer servetur.

¶ *Scholasticorum negligentia coerceatur.* Cap. 3.

QUi Theologiæ aut aliis generibus doctrinarum sunt addicti, si lectiones ad suam facultatem pertinentes tum publicas, tum sui collegii privatas neglexerint, parte sui annui stipendii ad arbitrium præfecti collegii mulctentur, nisi valetudine adversa impediantur.

¶ *De Theologis admittendis ad gradus.* Cap. 4.

QUando Scholastici, Theologi, vel Baccalaurei, vel doctores creabuntur, de capitibus in religione controversis diligenter interrogentur, neque ad hos gradus admittantur, nisi legitimam veramque intelligentiam in capiti-

bus propositis & sermone & subscriptione velint agnoscere.

¶ *Ut in Academiis non commorentur qui habent sacerdotia.* Cap. 5.

IN Academiis & collegiis non remaneant, qui sacerdotia sunt assecuti quibus animarum cura conjuncta est, cum illorum ad pascendum gregem sibi commissum præsentia requiratur. Quia tamen primitiæ ab eis solvendæ sunt, primi anni respectu cum fuerint socii collegiorum, inde tantum emolumenti accipiant, quantum eis daretur ad anni totius impensas sustentandas, si in collegiis adessent. Qui verò præbendas nacti fuerint absque cura animarum, si primitias cogantur solvere, primo anno impensis collegii sui vivere poterunt, deinde suis Ecclesiis inservire cogantur, nisi fortasse ab Episcopo & capitulo suo potestatem impetraverint commorãdi ad aliquod tempus in Academia, ut in capitibus de admittendis ad Ecclesiastica beneficia, & de præbendariis antea cautum est; quo tempore suis ipsorum vivent impensis, neque à collegiis impensas accipient, cum illis aliunde prospectum sit.

¶ *De adjuvandis scholasticis pauperibus.* Cap. 6.

PRovidendum est etiam ut ex legatis ad pias causas, & ex eleemosynis extraordinariis aliquid subinde scholasticis pauperibus distribuatur, his præsertim qui operam suam ecclesiastico ministerio addixerunt, & præter sui collegii stipendium nihil habent, quod est sæpenumero admodum tenue; quoniam si rationibus his non foveantur, & excitentur illorum studia, facilè suas voluntates ad alia detorquebunt, & ecclesia ministris aptis destituetur.

¶ DE

DE DECIMIS.

¶ *Decimas esse solvendas.* Cap. 1.

QUoniam Dominus noster Iesus Christus hanc ipse legem sancivit, ut qui doctrinam inter homines Evangelii conferunt, ex docendi labore præsidia vitæ metant, & ejusdem Domini nostri testificatione, digni sunt mercede quicunque sunt in opere; porro divinum jus scriptum bovi trituranti cùm os obligari non sinat, nobis exemplum divinæ clementiæ reptendum est, & validè videndum, ne vel nimia nostrorum hominum avaritia, vel negligentia fiat, ut ecclesiarum nostrarum ministris justi & convenientes fructus ex sanctissimorum occupatione munerum non suppeditentur.

¶ *Decimæ prædiales quomodo solvi debent.* Cap. 2.

IGitur authoritate nostra constitutum sit, ut omnes singulique subditi nostri, locis & temporibus designatis & legitimis, decimas omnium rerum ex prædiis provenientium ministris seponant, sive fœnum sint sive fruges qualescunque quorumcunque locorum, sive crocus, sive canabis, sive linum, sive sint olera, vel arborum fructus, vel aliæ cujuscunque generis ex fundis utilitates exortæ; semper enim quamcunque rationem aut conditionem hæ commoditates habeant, decimas universorum integrè & expletè rebus ex ipsis exemptas, eadem specie qua priùs ex fundis colligebantur, ministris repræsentari placet exceptis robustis & proceris arboribus quæ vicesimum ad annum excreverint, & ædificiis aut melioribus reservatæ propositis, ad focum non præparantur. Ex molendinorum fructibus, ex cespitibus, carbonibus effossis, ex lapidicinis, & aliis omni-

bus hujus generis oportunitatibus decimæ ſevocentur ad miniſtros. Similiter ex paſcuis, vel cæteris quibuſcunque terris, decimæ miniſtris eximantur, in quas equi, juvenci, boves, effœta quæcunque animalia ſunt miſſa. Decimæ deriventur etiam ex fœcundorum animalium quibuſcunque fœtibus aut fructibus: & in hoc numero ſunt, exempli cauſa, vaccæ, ſues, oves, equæ, cygni, gallinæ, anſeres, columbæ, cuniculi, damæ, piſces, apes, & alia paris conditionis animalia. Fructus ex iiſdem animalibus, butyrum, caſeus, lac conſideratum ſua natura, cum nec in butyrum nec caſeum infunditur, lana, vel cera, quibus quidem ex fructibus univerſis, non minus quam ex ipſis fœtibus decimas plenè & particulatim, nullo nec dolo nec aſtutia, volumus ad miniſtrorum utilitatem ſecerni.

Denique totum jus decimarum ex omnibus & ex ſingulis prædiorum commodis & oportunitatibus percipiendarum, ad rationem & formam in Parliamento præſcriptam quod anno ſecundo & tertio Regni noſtri celebratum eſt, determinari volumus, & iiſdem modis & pœnis procedere, quæ definita ſunt in nominati Parliamenti tertio decimo capite. Quod Parliamenti decretum, & ejus ſingula verba ac ſententiæ præſentem ad concludendam decimarum cauſam authoritatem firmam & prorſus inviolatam habebunt, non minus quam ſi fuiſſent huc infuſa, niſi fortè ſit in illis aliquid hujuſmodi quod cum præſentibus his legibus noſtris manifeſtè pugnet: verùm illa Parliamenti decreta quoniam omnes decimarum repræſentandarum formulas in ſe non comprehendunt, & multæ dubitationes in hanc quotidie cauſam decimarum incidunt, de quibus in Parliamento nihil determinatum fuit, ad minuendas quæſtiones iſtas curavimus intexi quæ ſint ordine conſequutura.

¶ An-

¶ *Animalium decima annua quomodo juxta numeri rationem solvatur.* Cap. 3.

SI cuiquam obvenerint tantum sex vituli, vel pauciores sex, pro singulis vitulis duos denarios respectu decimæ ministro pendat: si septem erunt, unum ministro segregabit, & minister vicissim sex denarios æqualitatis constituendæ causa, personæ refundet à qua vitulum accepit. Eodem modo cum octo vituli fuerint, unus eximetur ministro: sed ille rursus cum quatuor denariis exuberantem decimam compensabit. Si verò novem vituli reperiantur, vitulum accipiens, duos tantùm denarios minister exhibebit. Quòd si decimarum malit plenum beneficium minister expectare, nec suo jure velit uti, donec legitimus decem vitulorum numerus expletus sit, commodum dilationis, ut multis in rebus jure Civili constitutum est, aliqua ex parte feret, hoc est, cum tempus legitimi numeri venerit, uno aut duobus exceptis, ex reliquis sumet decem vitulis quem voluerit. Et eandem illos rationem sequi volumus in pullis equinis, & consimilibus. De agnis verò, cygnis, & aliis animalibus quibuscunque; quorum similis est æstimatio, pro singulo quoq; denarius ultro citroq; dabitur cum pauciora quam decem fuerint. In cæteris autem minutioribus animalculis quæ tam exile momentum habent ut illorum decimæ certa ratione non possint iniri, consuetudini locorum stari debet. Qui tales animantes alienaverit priusquã ab illis decimæ percipiantur, decimam pretii partem ministro concedat. Cum autem possessor vel ad usum illa familiæ suæ peremerit, vel amiserit casu, tantum pro decimis minister feret quantum loci consuetudo postulabit.

¶ *Divisio decimarum qualis sit.* Cap. 4.

SI fortè contingat ut equi, boves, & illius generis animalia, quæ jus decimarum superioribus nostris legibus efficiunt,

ciunt, ab unius parœciæ paſcuis in alia dimigrent, æquabilem decimarum partitionem inter illorum locorum miniſtros eſſe volumus, in quibus animalia ſe pabulo ſuſtentaverunt, inita temporum in utriuſq; paſcuis conſumptorum juſta ratione. Sed in hoc partitionis jure nolumus ex ovibus quicquam pro decima exigi à paſtore, niſi triginta dies in illius parochia reſtiterint. Quod ſi fines ac limites parochiarum in quibus oberrant animalia incerti ſunt, & liquere non poſſit quem ad locum jus decimarum infundi debeat, aut tempore colligendarum decimarum, non conſtet alteri parochiæ juſtè ſatisfactum fuiſſe in qua priùs fuerant, illius loci miniſtro decimas adjudicari placet, in quo deprehenſa ſunt animalia legitimo decimarũ tempore. Cum autem communia duabus aut pluribus parochiis paſcua ſunt, in quibus ſparſim animalia degunt, aut ſi terræ vaſtæ ſint & publicum uſum habentes, quas noſtro ſermone dicimus *waſte grounds*, in quibus nullum ſit proprietatis jus ullius certæ parœciæ, aut quando talis eſt vicinarum parœciarum inter ſe paſcuorum communicatio, mutuis ut vicibus in illis paſcuorum jus obambulet, certis anni temporibus humano quodam & commodo ſuæ propinquitatis reſpectu, tum ſegregetur ad illum locum decimarum jus in quo poſſeſſor animalium inhabitat.

¶ *Decima rerum alienatarum quomodo recuperetur.* Cap. 5.

MUlti decimarum vitandarum & eludendarum cauſa, vitulos, agnos, oves, & cæterarum rerum fructus inter liberos, cognatos, & neceſſarios ſpargunt, priuſquã legitimum tempus decimarum advenerit. Quorum aſtutia quoniam Eccleſiarum noſtrarum miniſtros iniquum eſt circumveniri, libertatem illis damus in hujuſmodi decimarum

marum injusta divisione vel à divisoribus ipsis decimas integras jure repetendi, vel ab his qui fructus ab illis acceperunt.

¶ *De commodis quæ proveniunt à sacris ritibus.* Cap. 6.

OMnes oblationes, fructus, & utilitates quæ solent ex ritibus matrimoniorum, levatarum puerperarum, funerum, & bonis defunctorum, & aliis quibuscunq; religiosis officiis, ad ministros Ecclesiæ Anglicanæ venire, non adversante consuetudine locorum, & præscripta constitutione à nobis priùs ad has res accommodata, maxima fide volumus ad ministros affundi: quique deliquerint in hoc genere satisfactionis, illorum ab ordinario plectatur avaritia, donec officium plenè præstiterint.

¶ *De jure vicariorum.* Cap. 7.

VIcarius quoniam habitat in parœcia, & in illius curam sedulo incumbit, decimas, oblationes, pensiones, jura, fructus Ecclesiasticos, omnis generis, quæ vel à primo illius muneris fundamento, vel ex pacto, consuetudine, vel temporis beneficio, quod præscriptionẽ vocant, jure vendicare potest, accipiat. Et illi præterea generatim omnia largimur, quæ spatio decem annorũ ante nostram divulgationem istarum legum sine contentione percepit & controversia. Nec vel pastor, nec quisquam alius, illum ab illorum possessione depellet. Deinde terras exaret, si quas ad arandum aptas habet, nec decimas ex illis ullas repræsentabit, sive pastori ipsi, sive cuicunq; alteri.

¶ *Quando minister Ecclesiæ ex proventibus Ecclesiæ ali non potest.* Cap. 8.

PAstor cum exilitate fructuum necessitates suas cõmodè sustentare non potest, siue contingat illorum scelerata

rata cupiditate qui decimas illi ſubtrahunt, aut præcidunt, ſive quod tam minutæ ſunt decimæ & fructus, ut etiamſi juſtè perſolverentur, minimè illum poſſent alere, ſuam in hujuſmodi paſtorum difficultatibus pietatem Epiſcopus & authoritatem interponat, ut illis & illorum familiis poſſit convenienter proſpici. Quod expediri ſic poterit, ſi vel Epiſcopus omnibus neceſſitatem imponat paſtoribus in cauſa decimarum, & aliorum fructuum juſtè ſatisfaciendi; quod ſi adhuc ſatis non fuerit, hominibus parœciæ ſuadeat pro viribus, ut è facultatibus quæ ſupperunt præter decimas tantum ſponte attribuant, quantum neceſſarium eſſe videbitur. Atq; hiis viis ſi non proficitur, tertia reperiatur minutorum aliquot ſacerdotiorum quæ ſunt in propinquis locis in unum corpus, & unam Eccleſiam conjungendi, quo paſtor rem ſuam familiarem bene alere, & nutrire poſſit. Sin verò miniſtri qui eguerint, vicarii fuerint, tum Epiſcopus illos adhortetur qui quacunq; cauſa fructus Eccleſiarum poſſident, viam ut aliquam reperiant, inopem vicarium, ac ejus familiam, quantum ſatis erit, ſublevandi.

¶ *De decimis colligendis in aliena parochia.*

Cap. 9.

SI quis aliena parœcia certum locum ad decimas colligendas, aut certam decimarum portionem ſibi præſcriptione legitima vendicat, ei præcipimus, ne ullo prætextu alium quempiam locum ad colligendas décimas, neve alias decimas in illa parœcia uſurpare audeat.

¶ *Parœciæ ſolvendas decimas, non ſacello.*

Cap. 10.

SI fortè ſacellum aliquod in parochia ſitum fuerit, oblationes, decimæ, cæteriq; fructus Eccleſiaſtici non derivabun-

rivabuntur in ſacellum, ſed in parœciam confluent. Si tamen quicquam ſecus rite convenerit, æquum eſt ut fides pactorum ſervetur.

¶ *De locis qui ſunt à decimis liberi.* Cap. 11.

PRo agris, fundis, & loco quocunque ſive hæreditario jure, ſive quavis alia juſta ratione poſſideatur, decimas perſolvere nemo cogatur, ſi loca hujuſmodi per leges, conſtitutiones hujus Regni, legitima privilegia, ſeu præſcriptionem, & juſta pacta à decimis libera & immunia fuerint, modò ea de re fides eccleſiaſtico judici evidenter fiat.

¶ *Conſuetudo compenſationis tenenda.* Cap. 12.

QUibus locis conſuetudo fuit ut pro decimis aliæ res ſubminiſtrarentur, eandem poſthac teneri placet, ſi æqualis pro decimis compenſatio fiat.

¶ *Decimæ prædiales & perſonales quibus ſolvendæ.* Cap. 13.

DEcimæ prædiorum, hoc eſt, quæ ratione prædiorum aut fundorum debentur, in illas parœcias immigrabunt, in quarum finibus prædia vel fundi conſtiterint. Decimæ vero perſonarum, hoc eſt, quæ perſonarum ratione ſumi debent, & oblationes omnes, in illas parœcias commeabunt, in quibus perſonæ decimas conferentes inhabitant, & rerum divinarum, & ſacramentorum participes fiunt, niſi vel privilegio, vel longi temporis conſuetudine ſecus obſervatum fuerit. Cum autem de prædiorum finibus ambigitur, quæ ad parœciam propriè ſpectent, epiſcopus ad illam eccleſiam fructus convertat decimarum, ad quam æquitate credit eas & jure pertinere.

¶ *Solvendas esse decimas personales, juxta consuetudinem urbis London.* Cap. 14.

MAgnam indignitatem habet à tenuibus & laboriosis agricolis decimas annuas Ecclesiarum ministris suppeditari, mercatores autem opibus affluentes, & viros scientiarum & artificiorum copiis abundantes, nihil ferme ad ministrorum necessitates conferre, præsertim cum illis ministrorũ officio non minus opus sit, quam colonis. Quapropter, ut ex pari labore par consequatur merces, constituimus ut mercatores, pannorum confectores, & artifices reliqui cujuscunque generis ac omnes qui scientia vel peritia qualecunque lucrum percipiunt, hoc modo decimas persolvant: pro domibus nimirum atque terris quibus utuntur & illarum ratione decimas prædiales non soluunt, quolibet anno dabunt annuæ pensionis decimam partem.

¶ *Proprietarii quomodo decimas solvent.* Cap. 15.

QUòd si mercator, aut artifex, aut qualiscunque negotiator, aut scientia vel peritia se sustentans, proprietatis jus vel in ædibus habet in quibus inhabitat, vel in terris circumfusis, quibus ad mercaturam, artificium, vel peritiam utitur, hanc cum illis rationem iniri volumus, ut ex una parte minister, & ex altera parte possessor, singuli singulos arbitros sumant, & arbitri sumpti definiant quanti domus & terræ sint, & quo pretio locari possunt, & illius pretii decimam à possessore minister accipiet. Et inter duos arbitros si forte conveniri non possit, ordinarius illius ecclesiæ proprius tertium assignet virum gravem, & hujusmodi controversiarum callentem, & quod illi videbitur id in hoc negotio teneri placet.

¶ *Decimas utriusque generis solvendas esse.* Cap. 16.

MErcatores autem, artifices, & reliquæ personæ quas diximus, cum decimas personales contulerint ea forma

ma quam ante posuimus, illas tamen prioris generis quas prædiales vocant adjicient. Nam si domini sint agrorum, ovium, vaccarum, aut aliorum hujusmodi commodorum quæ superioribus nostris legibus decimarum jus efficiunt, pro illorum respectu ministris plenè volumus satisfieri.

¶ *Causa decimarum inter ipsos ministros non progredietur.* Cap 17.

QUoniam ecclesiarum ministri summa debent inter se charitate conjungi, pacatamque vitam & tranquillam degere, magnum habet dedecus, ut propter decimarum fructus turpissimis altercationibus, & immanibus etiam impensis inter se conflictentur. Ut igitur hujusmodi morum labes, & perniciosa discordiarum exempla tollantur & exterminentur, hanc decimarum causam nullo modo patimur inter ministros ipsos consistere, nec unus illorum ab altero decimas ullorum respectu ecclesiasticorum fructuum excipiat.

¶ *Consuetudo non solvendi decimas invalida sit.* Cap. 18.

CUm decimæ omni humano jure sine aliqua diminutione solvendæ sint, & saluatoris nostri Christi pastoribus ubique terrarum debeantur; Et cum plurimus in locis propter non solutas decimas animarū curā habentibus, adeò exiguū pretiū, ut ex eo nequeant congruè sustentari, relinquatur; itaq; fiat ut pauci inveniantur pastores qui ullā & modicam habent peritiam sacrarum literarum, cumque inter cæera quæ ad salutē populi Christiani spectant, pabulum verbi Dei maximè noscatur esse necessarium, osq, bovis ligari non debeat triturantis, sed qui altari servit, de altari vivere debeat; statuimus, ut consuetudine qualibet non obstante, integræ cujusque rei decimæ solvantur, omnemq; contrariam consuetudinem irritam esse decernimus.

¶ *De pensionibus.* Cap. 19.

QUoniam pensiones quæ ad illos deferuntur qui aliis suis cedunt sacerdotiis, solent ignaviam illorum & avaritiam nutrire, qui laboris expertes fieri participes esse volunt, hujusmodi fucos aliorum sudores depascere non feremus. Itaque nullum cuiquam censum hujusmodi annuum relinquimus, nisi cujus vel propter morbum, vel propter senectutem habenda sit ratio: quæ cum occurrunt impedimenta, proprius illorum locorum Episcopus adeatur, is tantum constituet pensionem quantam æquam esse putabit, quam summa fide successor persolvet. Sed ætas & valetudo quam diu ferent, omnino nullum à sacerdotio ministrum discedere patimur, alioqui nullum ex relicto sacerdotio fructum cujuscunque generis jure vendicabit. Vicarii, quoniam in laboribus parœciæ assiduè versantur, & tenues proventus ad se alendos & familiam plerumque habent, par est ut omni genere pensionum solvendarum eximantur. Statuimus itaque ut nullus pastor, patronus, aut quivis alius ab eis posthac nomine pensionis annuæ quicquam omnino exigat.

DE VISITATIONIBUS.

¶ *Cur Ecclesiæ visitandæ sunt.* Cap. 1.

ARchiepiscopi, archidiaconi, denique reliqui quorum interest, & qui jus ecclesiasticum dicere possunt, ecclesias suas visitent, & considerent, & solemnes ac visitatos in illis cœtus in tempore celebrent, ut populus illorum curæ commissus salu-

salubriter à pastoribus & ordine gubernetur, & ut assiduis ac piis ministrorum officiis Ecclesiarum ipsarum status rectè conservetur.

¶ *Quæ sunt in visitationibus quærenda.* Cap. 2.

HÆc autem in statis hujusmodi congressibus potissimùm quærantur: an sacræ Scripturæ diligenter & sincerè pertractentur: an apta sit & recta sacramentorum administratio: deinde disciplina qualis Ecclesiarum sit, & quantum habeat roboris: ac postremò formulæ publicarum supplicationum an rectè & tempestivè conserventur: & an cætera ritè peragantur universa, quibus Ecclesiarum procuratio continetur.

¶ *Forma visitationis.* Cap. 3.

JAm ut ista faciliùs procedant, universa multitudo, quemadmodum usitatè fieri solet, maximéq; videbitur convenire, in unum aliquem locum congregetur, & interpositis syndicorum & aliorum juramentis solennium testium, crimina diligentissimè perveſtigentur personarum omnis generis, quæ ad jus pertinent Ecclesiasticum, & cùm plenè fuerint intellecta, justas legibus pœnas dent, & acerbum ab illis supplicium capiatur.

¶ *Quæ sint, & à quibus præstanda.* Cap. 4.

DEinde providendũ erit, ut qui beneficiis Ecclesiasticis utuntur, omnes domos ad se pertinentes emendent, & reconcinnent, hoc excepto, quòd superiorum in Ecclesiis locorum, quæ cancella vocantur, instaurationem & refectionem non ad vicarios devolvi, sed ad rectores ipsos perpetuò referri volumus: Reliquæ verò templorum partes his qui in parœcia habitant, tuendæ corrigendæque

relinquentur: præterea cœmiteriis undiq; communiendis, vasis & instrumentis omnibus Ecclesiasticis perpurgandis, & suo in loco collocandis invigilabunt.

¶ *Puniendæ in syndicis negligentiæ.*
Cap. 5.

VIdendum etiam erit an in rebus fidei suæ commissis justè sint & diligenter versati. Quiq; non paruerint, aut officio functi non fuerint in omnibus illis causis quas antè posuimus, in excommunicationis pœnam incidant, aut ordinarii puniantur arbitratu.

¶ *Solvendam visitationibus justam mercedem.*
Cap. 6.

QUoniam autem labor præmio carere non debet, Archiepiscopus si provinciam, vel Episcopus Diocesim, vel Archidiaconus proprias sui muneris Ecclesias, aut alii suas, quocunque præfectorum Ecclesiasticorum nomine censeantur, visitent & perlustrent, & cætus ibi solennes & usitatos habeant, reliquosq; visitationis legitimos ritus adhibeant, omnibus fruantur emolumentis, quæ pertinent ad communem hujusmodi negotiorum administrationem. Nec in hoc genere quicquam minuatur illorum quæ vel consensu, vel consuetudine, vel quacunque legitima ratione solebant ad illos deferri. Et ut hac in re facilior sit progressio, si qui negligant, aut nolint hujusmodi mercedem expedire qualem visitationis munus postulat, potestas erit his qui visitandi labores obeunt, beneficiorum fructus segregare, reliquamq; omnem impedire utilitatem, imo verò pœnas etiam alias Ecclesiasticas expromere, donec sibi fuerit ab illis satisfactum.

¶ Pri-

¶ *Privilegia locorum exemptorum moderanda.*
Cap. 7.

QUoniam libertates & immunitates Ecclesiasticas licentiosam videmus sæpenumero afferre peccandi securitatem, volumus ut Episcopis liceat in omnia collegia, societates, & cætus, quæ quidem in Dioceſibus illorum constiterint, quantumcunq; privilegiis præmuniantur, inspectare, pœnasq; peccatis illorum assignare, non solùm communibus visitationum, sed omnibus aliis temporibus, cum magnitudo criminum postulabit; & eandem Archiepiscopus in sua provincia potestatem habebit.

¶ *Pœna peccatorum in collegiis, & hujusmodi cœtibus, unde proficiſci debeat.*
Cap. 8.

CUicunque tamen hoc peculiare jus tribuitur, quod prærogativum vocatur, ut in aliquo collegio, vel certo cujuscunque generis cætu seperatim juris dicendi potestatem habeat, & in coercendis maleficiis sit fas ei jure suo uti, ita tamen ut disciplinam vel Archiepiscopi, vel Episcopi non impediat. Quapropter hanc rem ita moderamur, ut si primùm ille de suorum criminibus judicaverit, ejus sit omnis illorum castigatio, nisi reus illam appellatione vitaverit. Si verò peccata priùs ad Episcopum vel Archiepiscopum perferantur, & illi cœperint causam cognoscere, illorum judicio stari placet. Et hanc sanè cautionem in solis criminum controversiis dijudicandis ita teneri placet, ut cætera immunitatis jura & consuetudines inviolata & salva remaneant.

¶ DE

DE TESTAMENTIS.

¶ *Quid sit Testamentum.* Cap. 1.

TEstamentum est nostræ voluntatis, & perfectæ mentis definita sententia de rerum nostrarum post mortem collocatione, quoad nominat & instituit certum hæredem qui nunc executor vulgò dicitur. Testamenta verò quisquis vel universa retexit, vel ullam illorum partem quacunque ratione sciens violat, anathemate percutiatur, & excommunitate Christianæ societatis exturbetur.

¶ *De testibus adhibendis.* Cap. 2.

TEstamentum legitimis testibus cõmunitum sit, & hii nominatim ponantur, ipse minister, & Ecclesiæ syndici quos gardianos appellant, aut duo vel tres assistantur viri spectatæ probitatis & exploratæ fidei, aut deniq; Testamentum ipsum manu testatoris, & duorum vel trium testium.

¶ *De testamento nuncupativo.* Cap. 3.

SI quis ex vita subitò migraverit, trium probatæ fidei testium consensus accipietur, licèt testamentum scriptis mandatum non sit. Et in utroq; testamenti genere, tam scripto, quam sermone testatoris excepto, quod nuncupativum vocant, satis erit si testamenti sui testator hæredem nominaverit.

¶ *Quod testamentum valere debeat.*

SEmper hoc teneri placet, ut omnis authoritas ad postremum testamentum accommodetur, & quæcunque sunt antegressa pro nullis habeantur, nisi certarum in illis positarũ rerum testator apertè jusserit in postremo testamento ratio-

rationem haberi. Quod si contigerit, illæ solum res consistent, de quibus separatim testator cavit.

¶ *De Codicillis.* Cap. 5.

QUoniam sæpe contingit, ut perfecto concluſoq; testamento, multa testatori veniant in mentem de quibus in testamento non præcaverit, & quæ vehementer ad illud apponi velit, propterea concedimus ut ista posteriora non minus habeant roboris, quàm ea quæ sunt in testamẽto collocata, si literis illa custodiri providerit, aut à præsentibus duobus aut tribus probatæ fidei testibus petat, ut illa velint attestari.

¶ *Quo tempore liceat contra testamentum agere.* Cap. 6.

SI quis contra testamentum in judicio quicquam afferre velit, vel id interponat cum tempus est comprobandi testamenti, vel anni spatio tempus hoc consequentis. Si verò longius expectat, excludatur causa, nisi fortè vel ætatis excusationem, vel longinquæ peregrinationis, ut de testamento nihil audierit, afferre & probare possit. Has autem excusationes ita volumus definiri, primùm quibus ætas est impedimento, tum demũ illos audiri placet, cum grandes erunt & ad agendum maturi. Primùm autem ætatis legitimæ sument annum: quem si prætermiserint, agendi jus universum amittant. Qui verò mare transmiserint, hiis post reversionem sex menses indulgemus: cujus beneficio temporis si non utantur, illis etiam actio nulla relinquetur.

¶ *Quibus liceat vel non liceat testamentum facere.* Cap. 7.

OMnes cujuscunq; sexus vel conditionis sint, potestatem habebunt testamentorum instituendorum, nisi fuerit in his aliquid, quod præsentibus his legibus nostris

adverſetur. Illos autem principio ſummovemus, qui ſui juris non ſunt, ſed in aliena poteſtate detinentur, quales ſunt nominatim uxor, ſervus, liberi minores annis quatuordecim, deinde furioſos non admittimus, nec mente captos, niſi fortè ſanitatis hujuſmodi tempora quædam intercurrant, in quibus ratione res ſuas moderari poſſunt. Arceanturpræterea qui nec fari ipſi poſſunt, nec aliorum ſermones intelligere, nec cogitationes ſuas literis mandare, niſi nutibus & ſignis utantur tam evidentibus & perſpicuis, ut idonei teſtes afferri poſſint illorum certæ voluntatis & indubitatæ ſententiæ. Porro nec hæreticis teſtamentorum libertatem concedimus, nec his qui mortis vel exilii perpetui, vel ſempiternorum vinculorum ſententiam acceperunt. Careant etiam hoc beneficio qui concubinas ante extrema non dimiſerint tempora. Fœminarumque ex altera parte ſimilis ſit pœna, quoties ſimilis eſt cauſa; quas ad perſonas annumerentur, qui duas uxores eodem tempore compræhenderint, vel fœminæ duos maritos ſumentes, niſi legitimum in priore perſona divortium antegreſſum, poſterioris jus conditionis firmum effecerit. Ablegentur etiam quicunque famoſorum damnati ſunt ſcriptorum, quomodocunque compoſitorum, qui meretriciam vel lenoniã exercitarint, niſi publicas publicorum criminum pœnas ſubierint. Ad extremum & fœneratores, aut (ut craſſiſſimè vulgari modo loquamur) uſurarii, niſi fortè vel uſuras refuderint, vel de refundendis plenè caverint, aut propter illas aliqua ratione alia integrè ſatisfecerint. His igitur omnibus poſitis perſonis, nec teſtamenti componẽdi, nec hæredem inſtituendi jus erit. Et generatim hoc intelligendum erit, teſtatorum illam eſſe conditionem excutiendam & ſequendam quæ jam morientium, non quæ longè antè teſtantium fuerit.

¶ Quo-

¶ *Quomodo qui communi jure testamentum condere non possunt, tamen ad pias causas legata relinquunt.* Cap. 8.

AD extremum vitæ tempus qui concubinam asservant, vel duas retinent uxores, itidem mulieres quarum similis pravitas est, ad pias causas bona sua possunt accommodare. Similiter qui meretriciam vel lenoniam publicè exercuerint aut fœneratores fuerint, nec ad bonam frugem unquam se revocaverint, tamen si piis officiis extrema voluntate sua quicquam impendant, honestas has, etiam in malis personis, cogitationes valere placet.

¶ *Quæ sint piæ causæ.* Cap. 9.

AD pias autem causas hæ annumerantur, quum aliquid ad vinctorum levationem, ad pauperum recreationẽ, orphanorum, viduarum & afflictarum omnis generis personarum sustentationem confertur, nominatim & maximè quum ad puellarum tenuiũ nuptias, ad scholasticorum in Academiis degentium nuditatem propellendam, ad publicarum viarum refectionem quippiam testamento designatur. Quum autem quicquam superstitiosè potiùs quàm piè legatum fuerit, Episcopus authoritatem suam interponat, ut legatum pias in causas distribuatur.

¶ *Qualis distributio bonorum esse debeat, vel ex Testamento vel ab intestato.* Cap. 10.

BOnorum vel testamento collocandorũ, vel sine testamento relictorum, hujusmodi partitio sit. Qui conjugem & liberos habet, tertiam bonorum partem ad uxorem segregat, liberis deinde suam tertiam assignet, & adhuc tertiam quæ supereſt portionem arbitratu suo collocet. Quòd si decesserit sine testamento, suas æquales tertias habebunt

uxor primum, deinde liberi, reliquam verò ſolam adminiſtratores tertiam partem diſpertient. Quòd ſi proles teſtatori defuerit, apud uxorem dimidia bonorum pars reſideat, & quod erit reliqui, quomodo voluerit de eo conſtituat. Et ſi moriens teſtamento deſtitutus fuerit, hoc idem reliquum in adminiſtratorum poteſtate ſolùm erit, uxoris ſalva ſemper & illibata ſorte. Si verò teſtator ſobolem ex uxore ſuſceperit, & uxor, illa ſuperſtite, ſit mortua, tum ad hanc ipſam ſobolem dimidium placet omnium bonorum revocari, reſiduum autem ad voluntatem referatur teſtatoris, quem ſi forte mors ſine teſtamento deprænderit, jure ſobolis inviolato, quod relinquetur ad authoritatem devolvatur adminiſtratorum. Fortunarum autem talis ratio debet iniri, ſemper ut æs alienum, & omnes funeris impenſæ deducantur. Liberorum verò jus quoniam propter varam erorum multitudinem incertum eſſe poteſt, æqualitatis perpetua regula definiatur, ut quotcunque ſint ſuam quiſque propriam habeat pro facultatum ratione particulam, niſi fortè pater in teſtamento nominatim aliquid ſecùs poſuerit. Et quum tenuior erit parentum conditio, licebit filiis in tertia bonorum parte, cujus integrum jus habent, tantum parentes ſublevare quantum illis videbitur. Quæ res ut faciliùs poſſit progredi, reliquas portiones quas uxoribus & liberis reſervavimus, ſi locus eorum vacuus fuerit, ad parentes collocupletandos infundi poſſe placet. Denique ſi teſtatoris vel cum Teſtamento, vel ſine Teſtamento morientis filium etiam mors oppreſſerit, & is filius liberos habeat, quantum ex avi bonis ad filium erat deſcenſurum ad nepotes proveniat, ut latiſſimè legum noſtarrum humanitas dimanare poſſit.

¶ Qui

¶ *Qui filii portione legitima carere possint.*
Cap. 11.

NUllus filius in testamento patris prætermitti debet, nisi quem priùs vel ante conclusum testamentum, vel in ipso testamenti condendi tempore disertis verbis pater exhæredaverit. Abdicatio tamen ipsa non valebit, nisi justam aliquam habuerit causam appositam: quas, ut planè cognoscerentur, hic ordine subjecimus. Itaq; primum & gravissimum est, si filius patri manum injecerit, deinde si gravi aliqua & insigni injuria volens & sciens violaverit, si criminis in foro coarguerit, non Reipub. causa, sed vel malicia vel odio intestino, si cum incantatoribus illi vel maleficis usus fuerit, si patris aut matris saluti tetenderit insidias, si cum noverca vel patris concubina incœstū commiserit, si calumnia famam patris oppugnaverit, aut ejus facultates obtriverit, si pro patre requirente vel fidejussor esse, vel vadimonium obire negaverit, si patri sit impedimento ne vel testamentum instituat, vel quacunq; ratione corrigat. Filia verò testamenti beneficio careat si meretriciis institutis vixerit, vel corpus pervulgaverit, cum interim pater honestam nuptiarum conditionem obtulerit. Nam pater si. 25. annum in filia neglexerit, & matrimonium non præparavit, negligentia patris culpa filiam exolvet, aut saltem quam ipse tam grandem suo vitio virginem apud se detinuerit, eam nec familiæ nec testamento potest excludere. Plectetur etiam exhæredationis pœna filiorum ingratitudo, qui patres vel furiosos, vel mente captos non (quantum res illorum ferent) sustentaverint, vel si captivos aliquam non repererint liberandi viam, si prolabantur in hæresim & in ea permanserint: si lenoniis vel meretriciis artibus usi fuerint.

¶ *Parentes etiam pauperes, cur à filiis in teſtamento præteriri poſſint.* Cap. 12.

PArentes ex altera parte ſi turpiter liberos deſtituãt, aut execrabili quodam & immani odio à ſe projiciant, vel in magnum vitæ periculum ejiciant, ab illis in teſtamento præteriri poſſunt. Si venenis aut artibus quibuſcunq; magicis ſalutis damnum filiis inferre moliantur, aut uxoris pudicitiam expugnent: itidem ſi filiis teſtamentorum libertatem inſtituendorum interceperint, ſi furioſos illos non curaverint, ſi convicti fuerint hæreſis & ab ea nolint removeri, cauſis omnibus hiis filii poſſunt ad parentes in teſtamento prætereundos uti, proviſo ſemper in hiis duobus capitibus quod nomine patris etiam mater intelligatur.

¶ *Cur uxores præterire liceat in teſtamento.* Cap. 13.

SEmper etiam uxorum in teſtamentis mariti rationem habere debent, niſi juſta poſſit offenſionis cauſa proferri, quam nec ipſam admitti volumus niſi firmis argumentis nitatur. Nec enim illis per calumniam jus ſuum eripi debet, quam & in filiorum, & in tenuium parentum cauſis æquitatem teneri volumus, ne ulla injuria jus ſuum amittant. Uxores autem mariti propter hæc excludere poſſunt, ſi vi in illos incurrerint, ſi quicquam ad eorum perniciem machinatæ ſint, ſi maleficis aut magicis artibus ſe contaminaverint, ſi prudens & ſciens uxor famam aut fortunas mariti calumnia, vel accuſatione falſa perverterit, ſi viro fuerit impedimento ne teſtamentum vel perficeret vel emendaret, aut quacunque ratione commutaret, vel illum ſi furioſum, delirum, aut implicatum gravi morbo non foverit, ſi ſalutem ejus prodiderit ulla, niſi reipub. cauſa, ſi captivum vel pecunia vel aliqua ratione non recupera-

verit

verit quantum quidem in se fuerit, si arripiat hæresim, nec ab ea dimoveri velit, si filiam vel quamcunq; domesticam quorumcunq; libidini patefecerit aut objecerit, denique si digressa fuerit à viro, nec ad illum revocari possit.

¶ *Qui nec hæredes institui, nec legatorum participes esse possunt.* Cap. 14.

NEc hæredes instituentur, nec ullo beneficio utentur testamentorum, qui pertinaces sunt hæretici, nec qui mortis sententiam acceperunt aut exilii perpetui vel æterni carceris, nec qui concubinatu se polluunt, nec duas qui conjuges uno tempore contra omne jus & fas conservant, nec fœminæ quarum in crimine pari par est culpa; annumerabuntur huc qui procuratorum ullo modo vel sparsorum damnati sunt scriptorum infamium, quæ lex civilis famosa vocat, qui lenoniis vel meretriciis institutis palam utuntur; pellentur etiam fœneratores ab omnibus testamentorum emolumentis. Tempus autem illud minimè spectetur in quo testamentum est institutum, vel in quo testator est ipse mortuus, sed in illo tempore personarum mores excuti placet, in quo vel hæreditas ab illis est adeunda, vel legata ejus incipiunt deberi.

¶ *De iniqua vel impossibili conditione legati.* Cap. 15.

SI quis rem certam in testamento cuiquam leget, conditionem iniquam vel impiam apponens, legatarius rem amittet, nisi fidem suam interposuerit se conditionem repudiaturum: Ad quod si nolit adduci, legata res Episcopi arbitratu in pium aliquod institutum impendatur: si verò talis fuerit conditio quæ non possit præstari, frustrà debet addita videri; quapropter hujusmodi conditiones nec hæredum jura nec legatariorum impedient, præsertim hoc si ostende-

oſtenderint ſe quidem, quantum in ipſis poſitum eſſet, elaboraviſſe conditiones ut procederent, nec illorum diligentiæ quicquam abfuiſſe.

¶ *Quando hæredes bona teſtatoris capere poſſunt.*

Cap. 16.

HÆredibus ad bona mortuorum aditus non erit, niſi commentarium ut quendam eorum conficiant, quem indicem vocant, & tantum ut ſumant quantum funeris impenſis ſatis erit, donec teſtamenta vel Epiſcopo, vel ejus ditionis proprio judici, quem ordinarium ſæpiſſimè communi nomine dicimus, plenè probata fuerint, & donec ab hæredibus apud ordinarium ſyngrapha obligatoria præcautum fuerit, ſe toto in hoc negotio commiſſorum ſibi bonorum integrè & ſincerè progreſſuros, & rationem illi reddituros ſuæ fidei cum eam ordinarius popoſcerit, & ipſum ordinarium omni ratione ſalvum & quietum ſemper præſtituros. Nam Epiſcoporum eſt proprium teſtamenta confirmare, bonorum adminiſtrationem etiam deſignare, ſi teſtamenta mortuorum non extiterint. Itaq; nolumus hoc illorum jus loco movere, niſi ſingulare privilegium intercurrerit, aut aliquo conſenſu legitimo ſecus conſtitutum fuerit, vel aliqua conſuetudo recta, vel ſpatium temporis jure definitum (quam præſcriptionem vocant) hanc authoritatem ad alios aut homines aut locos deducat.

¶ *De mercede judicis & miniſtrorum.*

Cap. 17.

QUum bona teſtatorum ſummam quinq; librarum non tranſcendunt, nihil vel judici vel ejus adminiſtris pro confirmatione teſtamentorum rependetur: ſcriba tantum ſex denarios percipiet, quòd judicis ſententiam & teſtamenti exemplar in acta retulerit. Judex autem hujuſmodi teſtamentum, quando firmum & ſolidum eſſe ſtatuit, appoſito

posito signo gratis muniet: membranæ vero, ceræ, scripturæq; sumptus ad illos æquum est devolvi ad quos ex eisdem utilitas perveniet. Si vero testatorum facultates ultra quinque libras ascendant, & tamen intra quadraginta libras subsistant, ad judicem & ministros quadraginta denarii seponentur, ex quibus duodecim eximentur scribæ, reliquum judici remanebit & suis administris. Cum autem res testatoris pretium quadraginta librarum superant, ad judicem & ministros quinq; solidi corrivabuntur, de quo dimidium ad scribam perveniet: at in eo si non acquiesceet, hanc conditionem sumet, ut pro decimo quoq; testamenti versu denarium percipiat, proviso quòd singuli versus decem pollicum latitudinem exæquent.

Quòd hæredes & administratores rationem reddent bonorum. Cap. 18.

NUlli privilegio tantum tribui volumus, ut hæredes bonorum (quos executores vocant) vel administratores à reddenda legatorum ratione abducat, quam in omnibus qui vel cum testamento, vel sine testamento moriuntur constare placet. Quapropter qui talibus privilegiis præmuniti sunt, eorum nisi beneficium deponant & repudient, nolumus illos ullum in tractandorum bonorum negotio jus habere, nec ad eorum administrationem quacunque ratione adhiberi.

De sigillo defuncti. Cap 19.

QUoniam multa solent astutè fieri quando signum hominis mortui interceptum est, jubemus ut quamprimum aliquis excesserit è vita, signum ejus qualecunque sit quod ad scripta solebat affigere, quandam in arculam vel crumenam seponatur, ubi tutò conservari possit, & præterea trium signis honestarum personarum illa crumena vel

arcula obsirmetur, ut ita signum testatoris salvum ad judicem primo quoquam tempore deducatur. Quum vero vel hæredes vel executores signum ad judicem deportaverint, ille statim imaginem & formam signi pervertat, & deleat, materiam vero illis restituat, nec ullo modo sibi reservet.

De bonorum indicibus conficiendis. Cap. 20.

HÆredes vel administratores duos evocabunt ad se, qui vel aliquid testatori debebant, vel nonnihil ex ejus testamento percipient, aut hii si vel omnino affuerint negaverintve, duos existimationis honestæ qui defuncto necessarii fuerint, vel omnibus hiis absentibus duos cujuscunque conditionis modò probos & integros, & hii rationes omnium rerum scriptis mandandas curent plenè & perfectè, quorum scriptorum vel ut vulgo dicunt inventariorum sibi reservent unum exemplar, alterum judicis fidei committent, qui cum juramentum ab illis de scriptorum fide & sinceritate poposcerit & acceperit, ipsa scripta prompte sumet, comprobabit, & in tuto loco conservabit, nam & testamentorum & judicium vel inventariorum (ut vocant) exemplaria diligenter à judice vel à judicis administris custodiri præcipimus, ut hii quorum interest quoties illa requisiverint præstò esse possint, quum autem hæc scripta postulabuntur statim illa placet & alacriter exhiberi, & merces hiis rebus transcribendis illi sit quam ante posuimus, aut, ita si scriba sibi voluerit satisfieri, numerum sequutus versuum pro decimo quoquam singulos denarios accipiat, & illa versibus longitudo constet quam ante præscripsimus. Quod si vel judicis vel administrorum avaritia plus ad se derivaverit quam nos assignavimus, & merces primum omnis ipsa detrahatur, deinde jactura ferientur decem librarum,

librarum, de quibus dimidium in cistam pauperum secedet, reliquum ad eum perveniet cujus negotium fuit, si reos facere velit & caulam jure persequi.

Hæredes vel administratores solum indicium fidem sequi debere. Cap. 21.

ÆQuum non est ut vel hæredes vel bonorum administratores plus exhibere cogantur, quàm in illis scriptis reperitur, quos indices dicimus, si tamen ipsis indicibus plene fides constiterit.

Dubitatio cum incurrit de testamento vel hæredibus, quid sequendum sit. Cap. 22.

QUum nec de testamenti pondere, nec de personis qui ad bonorum moderationem adhibendi sint in Ecclesiastico foro jure possit constare, judex, ut interim de facultatibus nihil intercidat, illas fidorum sequestrorum custodiæ committet, donec aliquid in his rebus certi possit intelligi. Hæres autem si tempus ad cogitandum sumpserit, nec statim credat negotium tam implicatum debere suscipi, literas Ordinarius illi curet confici, quarum authoritate dissipatas testatoris facultates recolligere possit, modo scriptis legitimè cautum sit, ut hæres sex mensium spatio proxime consequuturorum, rationem omnium rerum reddat ullo jure testatoris à se conquisitarum, nec secus ad opes testatoris contrectandas intret, nisi perfecto bonorum omnium incorrupto verèque indice eo modo quo paulo ante est præscriptum. Hanc etiam rationem administratores sequentur, qui sine testamentis ad hominum facultates admoventur.

Pœna recuſantium hæredum quæ ſit. Cap 23.

QUi nominatim in teſtamento conſtituuntur hæredes, quum Ordinarius illos admonuerit & certum tempus poſuerit in quo debent teſtamenti tractationem ſuſcipere, vel ordinarii monita licet non interceſſerint, nec is quicquam in hac re cum illis egerit, ſi totos ſex menſes effluere ſinant mortem teſtatoris excipientes, & ad teſtamenti pertractationem ſe non adjungant, nec cauſam afferant juſtam qua cogantur ab illo abeſſe, ſtatim Ordinarius illos à teſtamento diſcludat, nec quicquam ex eo patiatur ad illos emolumenti pervenire. Reſtituant autem & reponant plenè & integrè ſi quicquam prius in teſtamento delibaverint: & mortui propinquis hoc negotium à judice committatur.

De diſtributione bonorum inter hæredes vel adminiſtratores. Cap. 24.

QUum plures hæredes vel adminiſtratores fuerint, æquas ſibi bonorum particulas ſument, alter ab altero quum injurioſe tractabitur, ſingulis ad ſuum jus recuperandum via eſſe poſſit. Ordinarius igitur hoc vehementer providebit, ut hæc inter illos bonorum æqualitas ſemper conſervetur, niſi forte ſecus ipſi inter ſe pacti fuerint, aut propter viduam & filiorum cauſam conſilium Ordinarius capiendum eſſe putet.

Quæ legantur piis cauſis, quando ſolvenda ſunt. Cap. 25.

QUam primum æs alienum fuerit diſſolutum, ſtatim hoc in pias cauſas collocetur quod illis teſtator impendit, in qua re ſi illi quorum intereſt ultra ſex menſes à teſtamenti approbatione tardaverit, Epiſcopus aut Ordinarius

rius Ecclesiasticarum authoritate censu rarum universam non solum sortem, sed accessiones etiam quascunque comportari curet, & ad testatoris voluntatem accommodari, nisi tempus solvendorum legatorum in testamento disertè sit expressum.

Moriens legatarius quando legatum transmittit ad hæredem. Cap. 26.

Postquam res legata deberi cæpit, si legatarius è vita prius excedat quam hæreditas adita fuerit, in legati jus hæres legatarii succedet. Sed res legata tradi non potest, donec testamentum per judicem confirmetur.

Quando legatum ab hærede non solvitur. Cap. 27.

Hæres necessitate solvendæ rei legatæ non tenetur, quum ea donatione legatario primum obveniens aut ulla lucrosa causa, post in ejusdem legatarii possessione collocetur, nec enim bis in eodem beneficio quisquam adjuvari debet, sed quam rem legatarius ante pretio comparaverit, eam si dempto pretio testator donaverit, ejus benevolentiam emptio non impedit, quoniam in ea non lucrum sed onus inesse videtur.

Quando legata non valent. Cap. 28.

Legata valere non possunt nec præstari debent, quum legatarius à testatoris proposite recedit, aut si conditio non extiterit ad quam legatum referebatur, aut ipsa si legata quocunque casu vel fortuita calamitate prius effluant, & colliquescant, quàm hæreditas adeatur, aut si legata fuerint quæ ædificiis sunt conjuncta nisi vel corruant vel diruantur ædificia.

Quando legata minui possunt. Cap. 29.

QUum hæreditas sic extenuata fuerit ut omnia legata plene si representarentur, vel uxori vel liberis suum non possit jus integrum relinqui, tantum ex eis volumus decerpi, quantum ad explendam vxoris & liberorum sortem satis erit.

Quid a legatariis premittendum sit. Cap. 30.

CUicunq; quicquam expresse legatum est, id illi non tradatur nisi legitimè præcaverit se restituturum quod acceperit, si certa fuerit hæreditas, & onera sustentare non possit.

De fidei commissis. Cap. 31.

QUoties vel hæreditas vel legata in testamento cujuscunq; personæ fidei committuntur, hoc est, illi sic ad tempus mandantur ut eadem post voluntate testatoris alio transferantur, fidei commissarii nec ad hæreditates ullo modo, nec ad legata admitti debent, donec vel fidejussionibus idoneis vel etiam pignoribus caverint, se salvas hæreditates & inviolata legata prorsus eisdem conditionibus esse representaturos, quas testator in suprema voluntate sua legitime vel significavit vel expressit.

Quomodo sit vtendum mortui bonis. Cap. 32.

HÆredes ex bonis testatoris nihil ad se vel pretio levocent, vel inter se mutua donatione spargant, aut alio respectu cujuscunq; generis invadant, & quasi proprium assumant nisi quod vel in testamento fuerit illis aperte attributum, vel pro quo justum pretium numeraverint coram

ram idoneis testibus, qua formula bonorum etiam administratores uti placet.

Sine consensu nihil esse alienandum. Cap. 33

DIstrahi nihil aut alienari patimur ex facultatibus testatoris cujuscunq; generis res aut possessio sit, nec scriptis quicquam acceptum ferri, vel ut vulgo loquuntur acquietantiam ullam dari vel ab hæredibus vel à bonorum administratoribus nisi communis sit omnium in eo consensus, qui juramento se prius obligaverint. Et qui secus fecerint illos excommunicationis pœna coerceri volumus.

Testamentum anno spatio impleri debet. Cap. 34.

HÆredes vel administratores cum ad testamentorum collocationē semel admoti sunt, intra spatium proximi succedentis anni, vel ut planius loquamur intra duodecim menses ex tempore quo testamentorum administrationem susceperunt, omnes rerum legatarum particulas emetientur, & quantum testatoris voluntas ac hæreditatis ratio ferent, totum hoc negotium illis commissum plenissime cōficient, quod si definito tempore munus hoc suum non concludant, cum Ordinarius illorum diligentiam excitarit, si illi poscenti justam non ostenderint causam suæ cessationis, ecclesiasticis suppliciis cōprehendantur, & etiam omnibus careant fructibus qui fuerant ad illos ex testamentis perventuri.

Quando separatim hæredes in testamento versari possint. Cap. 35.

SI complures fuerint hæredes vel administratores eodē jure constituti, contingatq; quempiam ex illis vel morte tolli,

tolli, vel neceſſaria noſtra cauſa peregrinari, vel ſic impediri ut intra ſex menſes aut nolit aut non poſſit operam cũ aliis ſuam communicare, reliquis licebit totum pertractare teſtamentum, & omnes res ad exitum perducere, nec enim tutum aut æquum eſt teſtatorum voluntatem ex uno religatam diu ſuſpendi, & res ejus incertas relinqui.

De ſucceſſoribus hæredum & adminiſtratorum. Cap. 36.

QUum ſolitaria mulier (quam vidnam appellamus) vel hæres vel bonorum adminiſtratrix inſtituta ſit, & eadem poſt, virum ſumpſerit, vir, ſive mortua ſive ſuperſtite conjuge, per judicem qui adminiſtrationem vel exequutionem illam commiſit, trudetur ad omnem teſtatoris implendam voluntatem. Et hoc adeo in omnibus legitimis hæredum ſucceſſoribus teneri volumus, & quæcunq; priores onera teſtamentorum agnoſcebant, eadem intelligant poſteriores ad ſe pertinere, quantum quidem hoc anguſtia bonorum & hæreditatum fieri ſinet ad ſe quacunque ratione perlatorum.

Hæredes diverſarum dioceſium quomodo jure conveniantur. Cap. 37.

QUum plures hæredes ad unum teſtamentum confluxerint, licet in oris diverſis & dioceſibus ut vocant diffiti ſint, tamen ad illũ judicem revocabuntur qui teſtamentum confirmavit, & ejus authoritate ſuſcipient omnia munera, quæcunque ad hæredum fidem & officium pertinent, quod etiam de bonorum adminiſtratoribus intelligi volumus.

Quomodo ratio ſit ab hæredibus reddenda. Cap. 38.

ORdinarii vel alii quicũq; judices, quibus confirmare licet ac conſignare teſtamenta, quibus bonorũ ſine teſta-

mento

mento relictorum commissa est authoritas, administrationis restituendæ post annum ab hæredibus & administratoribus sui numeris gesti rationem flagitare possunt & debent. In quo si vident integrè illos & incorrupte versatos esse, prorsus illos in omne tempus admittant. Hoc tamen excipimus ut si forte quicquam ex mortui fortunis non fuerit ut oportet distributum quod adhuc collocatum non sit, vel ad eos deferatur qui in eo jus non habent, vel hæredes aut administratores arbitratu judicis id ad sanctum aliquod propositum accommodent.

Pœna eorum qui testamenta violant.
Cap. 39.

TEstamentarii qui falsa testamenta subjecerint aut obligaverint, vel testamentum per se verum ulla ratione perverterint, vel addendo, vel demendo, vel mutando, vel interlineando vel quocunque genere fraudis aut depravationis utendo, si tam atrocis flagitii manifeste convincantur, pellantur tanquam falsarii omnibus in jure concessis muneribus, & omni careant emolumento corruptorum testamentorum.

Qui sunt sine testamento. Cap. 40.

TEstamentum non dicuntur relinquere, primum qui scriptis non mandant, nisi subitanea irruat mors: deinde qui nominatim hæredem aliquem non ponunt, vel si negant hæredes qui relinquuntur & suscipere nolunt, aut hujusmodi sint ut suscipere non possint. Et sine testamento judicandi sunt esse quum testamentum tam male comparatum est, ut à judice legitimo confirmari non possit.

Teſtamentum vitioſum impleri debet. Cap. 41.

QUando teſtamentum pro nullo capitur & facultates diſtribuendæ ſunt ab adminiſtrationibus, hoc à judice debet ſummè provideri tantam ut teſtoris habeat voluntatis rationem quanto omnino maxima eſſe poteſt. Quanquam enim legitimum non fuerit teſtamentum, tamen legum civilium humanitatem libenter ſequimur, ut in propriis bonis ultimas hominum voluntates & judicia nunquam ad ſe redditura (quantum fieri poteſt) firma & inviolata conſervemus.

Quibus adminiſtratio bonorum committenda ſit, & quid mercedis habere debeant. Cap. 42.

QUoties aliquis ſine teſtamento moritur ad honorem ejus adminiſtrationem uxor primo loco ſumatur, ſecundo qui cognatione fuerint propinquiſſima, vel ſi judex cenſebit unà poteſt illos in hoc munere cum uxore conjungere, hoc tamen perpetuò ſtet, ut quibuſcunque fuerit munus adminiſtrationis attributum, fidejuſſores afferant prius, aut etiam pignora deponant quibus plene poſſit & legitime præcaveri quod in hoc negotio ſyncere ſint & ſine ulla fraude proceſſuri, quod ordinarii omnibus partibus incolumitatem præſtabunt, poſtremo quòd rerum geſtarum rationem reddet quancunq; judex eam legitime poposcerit. Quod ſi forte nonnunquam evenerit ut propter æqualem cognationis propinquitatem multorum ad facultates adminiſtrandas concurſus ſit, quoniam in illorum pari cauſa

causa par videtur jus requiri, tunc judex tanquam honorarius arbiter litem determinet, suoque arbitratu munus hoc administrationis aut uni illorum aut pluribus collocet. Cum autem in pari multorum cognatione aliquis unus existit qui beneficium administrationis petit, vel in dispari cognatione si multi cupiunt ad hoc negotium assumi, judex uxorem mortui potest & vel illum singularem virum si velit in hoc munere copulare, vel ex cæteris quoslibet designare suo arbitratu, modo merces in hac re nulla interveniat. Nec judici ex administratorum designatione lucri quicquam debet esse, nisi bona supra quinque libras non perveniunt sex denarios accipiet. Quod si facultates quinque librarum æstimationem vincant, & tamen quadraginta libris augustiores sint ad judicem & ejus administros triginta denarii confluent.

Quæ desunt huic capiti unde petenda sunt. Cap. 43.

QUoniam acervi dubitationum, & controversiarum in hoc testamentorum caput comportari solent, dum infinita virorum avaritia mortuorum voluntatem circumvenire molitur, omnibus partibus illorum perversitati placet occurri. Quapropter quarum rerum in hiis constitutionibus medicina vel levato non potest inveniri, de illis ad juris Cæsarei authoritatem confugiendum erit, cum hac tamen exceptione nihil ut inde sumatur hujusmodi quod vel cum decretis hisce nostris Ecclesiasticis pugnet, vel à municipali jure regni nostri dissideat.

De Pœnis Ecclesiasticis.

Pœna culpæ par esse debet. Cap. 1.

QUonjam pœna culpæ par esse debet Ecclesiastici judices diligentissimam cautionem adhibeant ut in criminibus plectendis, locum, personam, tempus & cæteras omnes flagitiorum circumstantias considerent, & æquitatis regula supplicii magnitudinem definiant.

Idem crimen non debet bis puniri. Cap. 2.

ÆQuum non est ut in idem crimen bis animadvertatur. Itaque qui semel peccati pœnam his legibus nostris dedit, non debet ab ullo judice Ecclesiastico, quocunque nomine appelletur, rursus ad supplicium vocari, nisi forte rursus ad eandem peccandi licentiam devoluatur, tum enim nova culpa novam pœnam requirit.

Clerici quomodo puniendi. Cap. 3.

QUi sunt ex ordine Ecclesiastico, quos vulgo Clericos dicunt, si de suis ipsi criminibus confiteantur, aut in illis legitime convincantur, illorum proprii judices cum personarum omnes & causarum circumstantias perquisiverint, vel temporariis vel perpetuis vinculis illos arbitratu suo mandare posse concedimus.

Ætati nulli parcendum esse. Cap. 4.

IMpunitas delicti propter ætatem non detur, si quis ea sit ætate in quam crimen quod intenditur cadere potest.

Pœna

Pœna debet authorem sequi. Cap. 5.

POena semper authorem sequatur, & in illo terminetur, ut non ulterius progrediatur metus quàm inveniatur delictum.

Iudices in veneratione esse debere. Cap. 6.

QUicunque Iudicum dignitatem, sermone, facto, vel actione violat, aut quicunque de illorum æstimatione decerpit, ipsorum Iudicum arbitratu contumaciæ pœnas & impudentiæ dentæ.

Gravidis fœminis parcendum ad tempus. Cap. 7.

GRavidarum mulierum uteris parci volumus, qui donec subsidant, nec grave supplicium ab illis sumatur, nec ad tribunal ita pertrahantur, ut ullum ex eo fœtui periculum creari possit.

Vbi legitima deest, ibi sit arbitraria pœna. Cap. 8.

SI quorum hujusmodi peccata fuerint ut his legibus nostris certæ pœnæ non constituantur, arbitratu judicis supplicium ab illis sumatur.

Pœna minui potius quam augeri debet. Cap. 9.

INterpretatio legum pœnas minuere debet potius quam augere, benignissimam ut etiam in hac re Iuris civilis regulam sequamur, quæ dubiis in causis clementiorem sententiam eligit.

Institutio carceris qualis sit. Cap. 10.

QUoniam homines ad peccandum facile solent accedere, carcerem unum aut alterum, vel plures etiam si res poposcerit, in propria ditione quam diocesim vocant Episcopus habeat, ut eò dimittantur qui se vitis in hiis legibus positis obstrinxerint, vel contumelioſe aut irreverentes contra judicem pro tribunali sedentem se gesserint.

Pecuniaria pœna quomodo admitti possit. Cap. 11.

POenitentias Ecclesiasticas nolumus in pœnas mutari pecuniarias, nisi aliqua gravis intercesserit & necessaria causa. Quoties autem ita fiat, omnes Rei nummos quibus crimen ejus plectitur in communem thesaurum quem Cistam pauperum vocant comportari placet, & eos ibi deponi ubi habitat, aut si crimen commissum est. Idque testatius ut esse possit, Ædituis vel Syndicis præsentibus generatur, & tempus sumatur celebrationis divinorum officiorum, & pecunias ibi manibus ipse suis collocet qui peccavit, & dies quidem sit festus, ut plures Reus testes facti sui colligat. Et is sit dies quem Iudex illi præscripserit, vel Ordinarius reo certas constituas pias causas in quibus pecunia omnis expromi possit. Si quis autem culpam eandem geminaverit, nullum illi præsidium in pecunia relinquimus.

DE

De Suspensione.

Suspensionis varietas. Cap. 1.

PRincipio genus ipsum suspensionis ad utrumque ordinem pertinebit, Ecclesiasticum, & Popularem, vel (ut res notior communibus vocabulis esse possit) ad Ecclesiasticos & Laicos, & hujus pœnæ moderationis varietas erit ut aliquando Rei prorsus in Ecclesiam non introeant, nisi forte velint ad communicationem subauscultare, nonnunquam ut ab usu sacramentorum abarceantur, & interdum ab administratione sacramentorum excludantur. Cum igitur varia sunt suspensionis genera, judex nominatim & expresse dicet cum hac pœna ream personam afficit, quam ex hiis potissimum velit intelligi. Nunquam tamen à familiari hominum commercio arcet suspensio.

Quæ causæ sunt suspensionis. Cap. 2.

QUidam suis vitiis in pœnam suspensionis incurrunt cũ ad bonam frugem se ipsi revocant, aut impositas sibi criminum pœnas suscipiunt. Hii donec omnẽ expleverint integre judicis voluntatem & Ecclesiæ satisfecerin, si peccati magnitudo satisfactionem requirit, in hoc supplicio detinentur. Aliquando pertinacia vel negligentia Reorum hanc à rebus sacris relegationem pati cogitur, cum judex in minore delicto fulmen excommunicationis vibrandi nõ portat, & sæpe contingit ut licet crimina non possunt ipsa deprehendi, tamen suspiciones, præsertim atrocium peccatorum, si modo longo tempore inveteraverint, & infamam attulerint, ab Ecclesiis amandandæ sunt, quoniam magna sequeretur bonorum perturbatio si cum hujusmodi personis

nis

nis infamibus ſacramenta communicarent.

Quomodo terminatur ſuſpenſio. Cap. 3.

QUum homines ad tempus à ſacris ablegantur vel ut craſſiſſime loquamur cum talis eſt ratio ſuſpenſionis, ut certum tempus habeant reditus ad Eccleſiam, quamprimum advenerit, abſq; ulla relaxatione vel abſolutione Reus liber erit. Sed tempus ſi non fuerit conſtitutum, ſed inſtitutum aliquid quod Reus ſuſcipere debeat, nullo modo Reum mitti placet, donec Ordinarius ex eo perfecte intellexerit omnia rite & ordine a ſe geſta eſſe, quæ illi mandata ſunt. Quam rem ſi judici plene probaverit, tum demum culpa illum evolvi patimur. Cuius autem in quæſtionem bona fama vocatur, is tantiſper hæreat in judicio, donec legitimè ſuſpenſiones amolitus ſit, quibus oppugnatur.

Suſpenſus totum annum excommunicetur. Cap. 4.

SI quis a ſacris relegatus adeo judicis ſententiam contemnat ut relegatus annum integrum maneat, pellatur cœtu Chriſtianorum, & in horribile ſupplicium excommunicationis detrudatur, & ſacerdotio ſi quod habuerit, excludatur.

Quomodo puniri debent qui judicis ſententiam violant. Cap. 5.

SI quãdo miniſter Eccleſiæ vel loco motus ab Epiſcopo, vel in formulam ſuſpenſionis prolapſus fuerit, & quicquam eorum audeat facere quæ ſunt illi negata, nec ſe maturè corrigat, cum Epiſcopus illum officii admonet, & excõmunicationis pœna plectetur & delecrationis acerbitate vel degradationis, ut vulgo loquuntur, ut omnibus exua-

tur

tur ornamentis status Ecclesiastici. Si vero Minister non fuerit, sed ex ordine laico, excommunicatione feriatur.

Pœna illorum qui suspensis aut excommunicatis contra leges favent. Cap. 6.

QUicunque publicas Preces, Sacramenta, aut ceremonias Ecclesiasticas vel ipsi administrant, vel aliis administrandi authores fuerint, coram iis qui pœna vel suspensionis vel excommunicationis correpti sunt, aut illos in Ecclesia quicunque retentant, cum à Ministris legitime admonentur, nisi à ministro reprehensi temeritate desiterint, excommunicationis & ipsi supplicio reprehendantur.

Pœna suspensorum & excommunicatorum si pertinaciter è Templo exire recusent. Cap. 7.

QUi vero ab Ecclesia religati, vel quibus Ecclesia prorsus est interdictum, aut ut usitate loquamur qui suspensi vel excommunicati sunt, si (quando supplicii ratio postulet) se ab Ecclesia non abalienant, isto modo contra illorum pertinaciam procedi jubemus: si sunt ex ordine Ecclesiastico & Beneficia habeant ulla Ecclesiastica, illorum emolumentis ad tempus denudentur Ordinarii arbitratu. Si fructus ad illos ex Ecclesia nullus redeat, omnes actiones Ecclesiasticorum munerum erunt eis interdictæ: & licet prioribus vinculis liberentur suspensionis vel excommunicationis, tamen integrum annum in hac munerum Ecclesiasticorum intermissione permaneant. Qui vero sunt ordine laico si talis pertinaciæ rei fuerint, arbitratu judicis gravissimè puniantur.

Quomodo ferenda ſuſpenſionis & Excommunicationis ſententia. Cap. 8.

CUi (qui plus eſt) excommunicare licet, illi (quod minus eſt) ſuſpendere licebit, ſed nullus harum pœnarum ſententiam publicè recitabit, niſi literis comprehenſam & Iudicis legitimo ſignō munitam.

In morte Sacramenta ſunt concedenda. Cap. 9.

QUi criminum Eccleſiaſticorum rei ſunt, licet ab Eccleſiæ Sacramentis removeantur, tamen ex hac vita ſi forte migraturi ſint, & veræ pœnitentiæ ſigna dederint, Chriſtianæ charitatis eſt Sacramentorum illis uſum exibere. Qui vero mortis ſententiam acceperunt, ſi in carcere detenti Cœnæ Domini particip.s eſſe non poſſunt, diligenter ab aliquo pio viro inſtrui debent Chriſtum ſacramentis alligatum non eſſe, ſed ab illo ſacramentorum authoritatem & vim proficiſci: quapropter ad illum ſi mentem ſurſum erigant, & in illius mortem ſtabili ac immota fide dirigant, Chriſti carnem manducaverunt, & ejus ſanguinem combiberunt. Qua in re ut melius confirmari poſſint, aliquem pium & doctum Eccleſiæ Miniſtrum ad eos adhiberi mandamus, qui unum vel duos dies ad illorum fidem confirmandam & exædificandam ſumat, priuſquam ad mortem trudantur, ut alacrioribus animis ex hac vita decedant, & patientiam ac ſolatium ex ſacris ſcripturis colligentes, ſcelerum deſperatione ſublata, fidenter ac certa ſpe ad Deum miſericordiæ patrem & Chriſtum noſtræ ſalutem authorem pergant.

DE

De fructuum diductione vel sequestratione, ut vulgo dicitur, propter varias causas.

Ratio sequestrationis qualis esse debeat. Cap. 1.

QUicunq; beneficiis Ecclesiasticis fruuntur, speciosiorem templi partem, quam Cancellam vocant, sartam tectam conservare debent, & cæterorum etiam ædificiorum convenientem rationem habere quæ suam ad Ecclesiam pertinent. Præterea quæcunq; impensæ ad illorum curam referuntur Ecclesiæ respectu, illas debent omnes facultatibus suis facere & sustentare, sive jus ita scriptum postulet, sive legitima loci consuetudo. Quod si recusent facere, deducantur Ecclesiæ fructus, & ab illis tantisper detineantur, donec integre suum officium & expletè præstiterint: & cumulentur aliis etiam Ecclesiasticis pœnis, si judicibus id illos promereri videbitur. Quo in loco nullũ ut illis profugium relinquatur, fructus Ecclesiarum erui volumus, sive proprietarius eos, sive colonus, sive quis illos alius aut perceperit aut percepturus sit. Cum autem hæc fructuum erit deductio (quam vulgo sequestrationem vocant) illi quorum fidei fructus committuntur, vel illorum legitimi vicarii, possunt eos destrahere, & pecuniam ita collocare quomodo necessaria postulat Ecclesiæ ratio. Et hoc etiam provideant fructuum distractores, ut omnia interim Ecclesiæ divina suppeditentur officia. Tandem verò cum omnibus legitimis impensis abundè satisfactum est, fructus ad priorem dominum revolvantur. Colonus autem, vel conductor, de vestigali annuo tantum ad se derivabit, quantum

poteſt cum omni deductorum fructuum damno compenſari, quantumcunque ſcriptis Locatur de mercede integra ſibi præcaverit.

Sequeſtratio locum habet in litigioſo beneficio. Cap. 2.

SI jus incertum ſit Eccleſiaſtici Beneficii nec adhuc cum vacuum ſit conſtare poſſit ad quem Beneficium pervenire debeat, quamdiu controverſum eſt fructus de Beneficio deduci per judicem Eccleſiaſticum debent, & quamprimum cauſa legibus determinata fuerit, ſtatim ad legitimum dominum pariter cum omnibus emolumentis Beneficium commeet, exceptis impenſis quibus Eccleſiæ neceſſitatibus interim ſubſervitum eſt. Si quis autem ex litigatoribus Beneficium præoccupaverit & poſſederit, & poſt ſententia judicis contra illum poſſeſſorem proferatur, ille vero ſententiæ plagam appellationis remedio declinaverit, hujuſmodi Beneficii fructus quantumcunque poſſeſſi jure videntur deduci poſſe, etiam appellatione adhuc pendente, & minime terminata. Quanquam enim legum authoritas civilium multa poſſeſſoribus indulget, tamen ea contra Iudicis ſententiam in cauſa ancipiti valere non placet.

De ſequeſtratione mulierum in cauſa nuptiarum. Cap. 3.

CUm de matrimonio lis incidit, & mulier loci vel incolarum difficultatibus oppreſſa, metu, vel mercede, vel aliqua prava cauſa videtur nonnihil ſubticere aut occulere, poteſt Eccleſiaſtici Iudicis authoritate novas in ædes, aut aliud in oppidum tranſmoveri, donec de toto negotio concluſum ſit.

Pæ-

Pœna delinquentium contra sequestrationem. Cap. 4.

SI quisquam sequestratione rite facta se interponat, aut contra legum in hac re constitutionem quocunq; modo tumultuetur, Ecclesiasticis pœnis ejus importunitatem constringi oportet.

De sequestratione fructuum post mortem possessoris. Cap. 5.

QUoties vacuum fuerit Beneficium Ecclesiasticum, judex legitimus efficiet ut omnes vacui beneficii fructus deducantur, & ad tempus in tuto loco seponantur, quos universos plenè & integrè reddet is, in cujus custodia conquieverunt: & quantum illis aberit, tantum & amplius etiam duabus partibus restituet: quæ simul omnia novum ad Dominum statim, nulla nisi necessaria interposita mora, comportabuntur. Illas tamen impensas judex æstimet, quibus legitima præsidia cujuscunq; generis Ecclesiæ submin istrata sunt, sive jus illa constituit, sive legitima consuetudo recepit.

De Deprivatione.

Deprivatio flagitiis atrocibus convenit. Cap. 1.

DEjectio de dignitate, vel ut vulgo loquuntur deprivatio, quoniam singularem quandam inter pœnas Ecclesiasticis legibus constitutas acerbitatem habet, maximis & teterrimis vitiis est reservanda. Quapropter ista securis in homicidis, adulteris, & hujusmodi conscleratis personis defigatur,

cum manifestis indiciis deprehensa fuerit illorum immanitas.

Deprivatio qualis sit in Episcopo. Cap. 2.

CUm Episcopus in amittendi Status sui periculum venit, Archiepiscopum & duos Episcopos alios arbitratu nostro sumi volumus, moribus & doctrina præstantes viros, qui judicium hoc excercebunt: & hi totam rem diligenter inspectam & consideratam prudentia & pietate sua definiant.

Deprivatio qualis sit in dignitate vel beneficio. Cap. 3.

QUando cuiquam vel diripi dignitas, vel eripi Beneficium Ecclesiasticum formula Deprivationis debet, principio proprius illum Episcopus ad se rite evocet: deinde ad reliquum omne negotium pertractandum Episcopus adsit, & duos ad se doctos & integros Presbyteros asciscat, quorum authoritate & decreto stari placet.

Nunquam judex deprivationis sententiam pronunciet, nisi re apertissima. Cap. 4.

SEntentia deprivationis, quoniam cruenta est, & totum hominem conficit, tam horribile telum nec in venerandum Episcopi Statum intorqueatur, nec in sanctũ Ordinem quarumcunq; personarum Ecclesiasticarum mittatur, nisi reus vel trium vocibus idoneorum & locupletum testium convincatur, vel se ipse indicet, vel re tam evidenti & perspicua coarguatur, ut nullam omnino dubitationem habere possit.

DE

De Excommunicatione.

Quid ſit Excommunicatio. Cap. 1.

EXcommunicatio (melius eſt enim parum latinè quam parum aptè loqui) poteſtas eſt & authoritas ad Eccleſiã a Deo profecta, quæ facinoroſas perſõas, vel de Religione noſtra corruptè ſentientes, & ad ſuam improbitatem adhæreſentes a perceptione Sacramentorum, & etiam Chriſtianorum fratrum uſu, tantiſper ſommovet, donec ſenſus ſanos recollegerint, & ſalutarium cogitationum apta ſigna dederint, & pœnas etiam Eccleſiaſticas adierint, quibus ferocia carnis comprimitur, ut ſpiritus ſalvus fiat.

Quibus excommunicatio committitur. Cap. 2.

ECcleſia claves accepit à Chriſto, quibus, ligandi poteſtas & ſolvendi continetur. Quoniam autem ad hæc rectè debet & ordine procedi, quemadmodum adminiſtratio Sacramentorũ, & ex ſacris ſcripturis concionandi munus, certis viris deferuntur: ita poteſtas Excommunicationis in miniſtris & gubernatoribus Eccleſiarum conſedit, ut illi ſacrarum ſcripturarum ſententia & regula diſciplinam in ſacroſancta domini cœna ſanciant & dijudicent quæ perſonæ menſa pellendæ divina, quæ ſint ad eam aſſumendæ: nominatim verò moderatores & Eccleſiarum duces ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi, Decani, deniq; quicunq; ſunt ab Eccleſia ad hoc munus adhibiti.

Quibus in cauſis Excommunicatio debet adhibiti. Cap. 3.

NOn debet excommunicatio minutis in delictis verſari, ſed ad horribilium criminum atrocitatem admovenda

venda est, in quibus Ecclesia gravissimam infamiam sustinet, vel quòd illis evertatur religio, vel quòd boni mores perverruntur. Illius autem generis sunt de quibus Paulus dicit, qui talia faciunt in regnum Dei non introibunt, vel regni Dei non erunt hæredes, vel quòd propter hæc venit ira Dei in filios incredulos. Hæc immania facinora telo debent excommunicationis confringi, ut qui sunt illorum rei, in hoc supplicium incurrant, nisi maturè bonam ad frugem se revocaverint, & cum arguuntur, se ab hujusmodi sceleribus quamprimum alienant, ac etiam plene velint omne damnum luere, quod Ecclesia in illorum peccatis passa est. Etenim excommunicationis acerbitas nunquã expromi debet, nisi cum homines in sceleribus obdurverunt: quod duobus modis evenit, vel cum a salubribus se monitis avertunt & vocati se non ostendunt, vel si præsto sint & Iudicum decretis stare nolint.

Excommunicanda persona debet ante sententiam admoneri. Cap. 4.

NUllus judex excommunicatione quemquam percutiet, nisi semel atq; iterum, & etiam tertiò si res id requirit, illũ prænonuerit, ut se ipse si fieri potest tempestive corrigat. Tum etiã reo certum tempus ad deliberationem relinquatur, in quo secum ipse constituat utrum sanis consiliis obsequuturus sit. Sed qui rite fuerit evocatus, si tempore suo non adfuerit, hujus pertinacia statim in Excommunicationem incidat.

Universitas aut collegium non potest excommunicari. Cap. 5.

INtegri cœtus, quos universitates vel Collegia vocãt, Excommunicationis pœna comprehendi non debent. Cum enim ibi varietas magna sit personarum cujusque generis, ali-

aliquorum innocentia violaretur: noſtra verò clementia potius malis parcit quàm bonos plectit. Itaque ſoli pœnis plectentur quicunq; in hujuſmodi cœtu ſoli peccaverunt.

Excommunicatio prudenter & deliberate debet inſtitui. Cap. 6.

QUoniam ex pœnis omnibus Eccleſiaſticis acerbiſſimam ponimus Excommunicationem, acutiſſimum ejus mucronem ſine magna maturaq; deliberatione diſtringi nolumus. Ut autem in hac re vitioſiſſimos ſuperiorum temporum ritus emendare poſſimus, primum in nulla permittimus una perſona poteſtatem Excommunicationis collocari. Totius autem Eccleſiæ conſenſus quanquam inprimis eſſet optabilis, tamen quoniam difficillime colligi poteſt & conquiri, ſic Excõmunicatio procedat, ut Archiepiſcopus vel Epiſcopus vel alius quicunque legitimus Iudex Eccleſiaſticus, unum ad ſe publicæ pacis noſtræ cuſtodem, quem vulgo Iuſtitiarium vocant, aggreget, ac propriumillius Eccleſiæ Miniſtrum in qua Reus inhabitat, vel aliquem cui Miniſter ſuas vices committat: deinde ſumantur etiam duo vel tres, arbitratu Iudicis, docti beneque morati Presbyteri, quorum in præſentia, cum res ipſa diligentiſſime tractata graviſſimeq; ponderata fuerit, tandem ad decernendam Excommunicationem deſcendatur.

De Excommunicatione ſcriptis mandata. Cap. 7.

SEntentiam non valeat Excommunicationis, niſi ſcriptis mandata fuerit: cujus exemplum inorrupte ſyncereq; tranſcriptum Iudex Reo tradat, quo tempore id poſtulaverit, atque adeo intra ſex dies ſine ulla exceptione ſcriptum hoc reo requirenti concedatur.

Pœna Iudicis non legitime Excommunicantis. Cap. 8.

QUicunque Iudex vel Reum non præmonuerit, vel cæteras cautiones non adhibuerit, quas nos in hanc causam contulimus, primum in Ecclesiam toto mensis spatio non introeat, nisi sacræ Communionis percipiendæ causa, deinde judex superior à quo petenti Reo succurretur, priorem contra leges progressam Excommunicationem universam retexet, Excommunicationis authorem ad solvendas omnes impensas injustæ litis damnabit, & etiam alias pœnas arbitratu suo cumulabit, ut metu Iudices conterreantur, ne tam magnam in calamitatem homines sine gravissimis causis detrudant. Cum autem Iudex intellexerit quod cæcus & præceps in illo judicio ferebatur, & propterea sententiam vel temere latam ipse per se tollere, priusquam ad superiorem Iudicem Reus digressus fuerit, nec tamen is assentiri velit qui procuravit Excommunicationem, nisi Reus illi satisfaciat, & ad hoc auxilium superioris judicis imploret, Iudex inferior hanc ejus duram & acerbam appellationem negligens, sui potius commodi memorem quam communis inter Christianos charitatis, sententiam suam dissolvat, in qua manifestum animadvertit priorum suum errorem. Nam si addubitaverit, pignoribus à reo datis quod sententiæ & decreto superioris judicis quem appellavit obediet, ita tandem Iudex indictam à se prius Excommunicationem rescindat & aboleat. Quæ cum omnia rite fecerit, omni se legum nostrarum pœna liberabit.

Excommunicatorum denuntiatio.

QUum legitimus Iudex Excommunicationis sententiam pronunciaverit, statim id significet Ecclesiæ in qua reus inhabitat, ut omnes ab illo tanquam à putri & projecto mem-

membro se abstineant. Nec una tantum Rei propria Ecclesia rei gestæ certior sit, sed disseminetur & emanet ad vicinos ministros & Ecclesias, ut majore sentiat ille pudore se undiq; exclusum & destitutum. Minister autem Ecclesiæ propriæ, cum iis qui legitimè sunt ad hoc negotium adhibiti, consequente Dominico die, formula qua illi præscriptum est, Evangelio recitato, protinus Excommunicationem quibus verbis præscriptum est aptè & publicè coram Ecclesia expediat & legat, & populum condocefaciant Excommunicationis fulmine perstrictam personam ex Ecclesia quasi cadaver ejici debere, nec Cœnæ domini participem, nec divinorum officiorum, nec Christianæ societatis, sed à sinu communis Christianorum matris ecclesiæ revulsam, & abruptam à corpore Christi, cœlo simul & terra esse exturbatam, diabolo & ejus cõsceleratis ministris mancipatam, & sempiternis flammarum cruciatibus addictam, nisi matur è suam salutem Sathanicis ex vinculis expediat, vitam suam salubribus institutis ad probitatem revocet, maximum ex superioribus peccatis dolorem capiat, & quantũ in se est omne damnum illius flagitiis Ecclesiæ datum nova innocentia & integritate compenset. Donec igitur Deo reconciliatus & Ecclesiæ fuerit, ea formula quam post subjicimus pro Christiano fratre non accipiatur, sed tanquam extorris & naufragus & advena ignoti orbis obambulet, expers Cœnæ Domini & sacramẽtorum & divinorum quorumcunq; officiorum: Idem in aliis fiet Ecclesiis ad quas mandatum judicis perveniet.

Excommunicatorum pœna. Cap. 10.

CUm excommunicato non resipiscente nec in Domini mensa sciemter communicandum est, nec in ullis cum illo divinis officiis versandum. Atq; ista quidem pœna nul-

la exceptionem habeat. Deinde necibum quidem aut potum unà cum illo capere, vel osculari, vel salutare, vel ad ædes tuas invitare fas erit. In quo tamen debet indulgeri, nam Reus licet in ædes alienas commeare non debet, tamen propria ejus domus solitaria non relinquetur, nec à pactis civilibus excludetur & usitatis negotiis quibus necessariæ res humanæ vitæ suppeditantur: & si quis illum admonendi causa visitaverit & ad probitatem reflectendi, non debet in officio tam pio impediri. Nec illos ad Ecclesiastica beneficia sumi fas est, quos ad mensam vel ad colloquium adhibere nefas existimatur. Et Beneficiorum authores illius temporis jus amittant. Quod si reus ipse, priusquam legitime liberatus fuerit, ad Sacramenta vel communicanda vel administranda irrumpere audeat, si ex ordine Ecclesiastico Clericus fuerit, beneficio careat & officio dejiciatur: si ex promiscuo populo, & vulgo dicitur Laicus, arbitratu legitimi judicis gravissimè puniatur.

Pœna communicantium cum Excommunicatis. Cap. 11.

QUicunque cum Excommunicatis non resipiscentibus in ullis actionibus se commiscet nisi quas Excipiebamus, pœnam cum illis communem habebit, si semel admonitus ab illis non deflexerit.

Quamdiu vitandi sunt Excommunicati. Cap. 12.

QUi Excommunicatione fuerit ab Ecclesia dimoti, tam diu ad societatem Christianorum fratrum non admittentur, quamdiu Ecclesiæ quantum possunt non satisfecerint, & Beneficiorum liberationes à legitimo Iudice impetraverint, aut ad minimum, fidem Iudici obstrinxerint suam, legitimis se illius mandatis obtemperaturos.

Quid

Quid obstinatis debeat Excommunicatis fieri. Cap. 13.

QUum in Excommunicationis acerbissima solitudine quadraginta dies reus jacuerit,& nullam levationis honestam & piam rationem exquisiverit, Ordinarius qui prius Excommunicationi præfuit, literas nostro mũitas Ecclesiasticarum causarum proprio signo nostrum ad forum æquitatis transmittat, quod vulgo Cancellariam vocant, in quibus more regni nostri pertinacia reæ personæ perscribetur. Nos autem, quamprimum literas nostras, ut in hujusmodi causis fieri solet,ad Ministros legitimos,nimirum Vicecomites & Ballivos ut vocant perferri volumus,qui spatio quindecim dierum si reos non eruerint,cõprehenderint, & in carcerem condiderint, sed illis vel avare propter lucrum,vel injuste propter gratiam pepercerint,& jus longius indulserint quàm hujus ratio decreti nostri fert, si fuerint apud legitimum Iudicem in hac re convicti,triplum expensarum omnium in Excommunicationis universo negotio collocatarum exolvent, & in illum Ecclesiæ thesaurum quem vulgo cistam pauperum vocant illud deponent, quẽ Ordinarius hoc beneficio dignissimum esse judicaverit. Quod si per alios quindecim dies eorundem Ministrorum nostrorum culpa,cessatum fuerit, illud triplum quod solvere debent,conduplicabunt. Deinde si prehensos Reos & in carcere inclusos, nulla interveniente nostrarum literarum authoritate, vicomites aut custodes liberaverint,aut elabi permiserint antequam Episcopo Excommunicati se submiserint,& superioribus impensis plectentur,& decem addent alias libras arbitratu iudicis in cistam pauperum infundendas. Si vero negent aut differant has ita pecunias ponere, quomodo nos hoc decreto nostro jussimus, custodes publicæ nostræ pacis invocati statim opẽ ferant,nisi nostræ

velint authoritatis contemptores haberi: quibus si ita visum fuerit in bona licebit & possessiones eorum intrare, & illa seponere & segregare, donec plene sit ab illis omni ratione satisfactum.

Excommunicatus non liberatur nisi resipuerit. Cap. 14.

CUm ratio sacris in scripturis proposita, consuetudoq; sanctorum patrum, ab authoritate Scripturarum repetita non permittat excommunicatos liberari pœnarum suarum vinculis, donec violatam Ecclesiæ pacem & integritatem quantum in se est emendarint, & priori statui restituerint (nec enim æquum est illos in Ecclesiæ corpus inseri, donec peccata formulis Ecclesiasticis eluerint, nec salus ab Ecclesia unquam ostenditur nisi prius ad probitatem se ipse reus revocaverit) hæc igitur cum ita sint, Iudex cum plane cognorit reum in Ecclesiæ disciplina mansuete & clementer acquieturum, & si quem privatim offenderit, illi plene satisfacturum, tum demum ad Ministrum proprium curet reum remitti Ministrumq; certiorem faciat quomodo reus in loco suo rursus collocari possit, postquam Ecclesiæ serite sum miserit, ad extremum omni cum officio perfunctus sit, in Ecclesiam reus inducatur, & ibi rite à legitimo Ministro dimittatur, & ad veram Christianæ charitatis omnem societatem adhibeatur, nisi forte simulatio sit aliqua Rei in hoc negotio deprehensa, planèq; de eo constet quod non syncerè sed fugatè se gerat. Minister autem inprimis curet ut ad legitimum judicem totam rem perscribat quomodo tractata sit, & Reus jam liber ipse novæ nuntius suæ fortunæ, se quam primum ad Iudicem conferat: vel sic * Ministrumq; certiorem faciat de ritu & forma pœnitentiæ, & de tempore quo Reus astrictus sit Ecclesiam quam malo

exemplo

exemplo offenderit emendare. Minister vero & Syndici, aut præstantes aliquot Parochiæ viri, imprimis curent ut ad legitimum Iudicem bona fide & mature rescribant an Reus mandatam à Iudice pœnam summissè & plenè luerit, & externo corporis habitu animi verè pœnitentis signa declaraverit, an sic se gesserit ut aut contumaciæ aut simulationis notas aliquas palam ostenderit. * Iudex vero cum reum omni officio præscripto perfunctum esse cognoverit, illũ a vinculis Excõmunicationis liberabit, curabitq; ut Ministri omnes qui Excommunicatum declarârunt jam rursus liberatum & Ecclesiæ reconciliatum esse populo divulgent. Hæc vero semper ita procedant, nisi mortis periculum in Excommunicatione reum deprehenderit, tũ enim illum statim dimitti placet, si promissis pignoribus caverit se integrè satisfacturum omni ratione si fuerit saluti restitutus. Cum autem convaluerit, si mutaverit sententiam, & nolit Ecclesiæ disciplinam subire, rursus illius in Excommunicationem perfidia relabatur.

Cum appellatur ab Excommunicante quid fiat. Cap. 15.

PRonuntiata semel Excommunicationis sententia, non potest quoquam nisi ab ipso illo authore rescindi, vel ejus legitimo vicario, nisi reus a appellationis usus remedio causam superiorem ad Iudicem transmoverit. Tum autem si Reus vel injuria se dicat Excommunicatum, vel injustè ab Ecclesia quam omnibus officiis legitime conquisierit, author Excommunicationis accersetur, & nisi is quindecim dierũ spatio postquã ad causam dicendam evocatus fuerit, aperte possit ostẽdere quod rectè & justè cõtra Reũ processũ fuerit, ejus prior sententia tanquã iniqua rejicietur & ad nihilum

hilum recidet. Verum author excommunicationis si superiori Iudici suum sententiam probaverit, rursus in ejus potestate Reus erit, pignoribus tamen ab illo interim providebitur ut impensæ præstentur, & ut omnibus qui violati fuerunt aut affecti injuria, satisfaciat, sed dum hæret in judicio hæc Excommunicationis causa, Reus authoritate superioris judicis Excommunicationis supplicio potest eximi. Sed si post Reus litem amiserit, & in judicio succubuerit, vel ipse sibi diffisus deseruerit appellationem, tum aut spatio viginti dierum posteriorem damnationem vel relictam appellationem consequentium, omnia faciat perfecte & abundanter quæ superiori sententia peragere jussus est, aut si recusarit rursus in luto prioris Excommunicationis hæreat.

De reis qui mortiis sententiam acceperunt. Cap. 16.

CUm Civilis magistratus aliquis flagitiosos homines adhuc non Excommunicatos præoccuparit, in carcerem abduxerit, hii si post sententiam mortis acceperint, & nos illis postea pepercerimus, nolumus tum indulgentia nostra Ecclesiæ disciplinam impediri. Iudex igitur Ecclesiasticus illos satisfactionis & reliquorum officiorum commonefaciat: quæ si non omnia rite perficiant, Excommunicationis virga tantisper flagellentur donec salubriores cogitationes susceperint.

Formula reconciliationis Excommunicatorum.

PRimum omni eo tempore quod ab Ordinario constitutum fuerit, Reus ad Ecclesiam accedens coram foribus subsistet, illo prorsus omni corporis habitu quem legitimus judex assignavit. Pastor autem ex altera parte occurret, ac illum in Ecclesia frequenti cœtu sic affabitur. Vis nè frater

N.

N. in Christo charissime peccatum coram Deo tuum & in hujus Ecclesiæ conspectu confiteri, detestariq; tandem ut animum intelligamus a pravitate qua prius tenebaris abalienatum esse, teq; ut rursus ad ecclesiæ nostræ societatem aggregemus, à qua prius singulari perversitate tua revulsus eras: & subijciat reus, valde volo, meq; quam primum ad superiorē meam conditionem, unde turpiter & miserabiliter excidi, Dei beneficio & vestro revocari vehemēter postulo. Tum pastor eum in templum introducat, & ad omnem circumfusam multitudinem hanc orationem habeat. Viri fratres adduximus ante oculos vestros, & in vestra præsentia collocavimus, quemadmodum muneris nostri ratio fert, reum hunc fratrem nostrum, qui suos ut plane nobis probet emendatos sensus, & correctam morum labem, peccati sui deformitatem qua Dominum communem nostrum Deum, & sacrosanctā hanc ejus Ecclesiam offendit, publicè coram vobis paratus est agnoscere: quæ res licè pudorem illi nonnullum allatura sit, tamen Dei gloriam & Ecclesiæ nostræ statum vehementer amplificabit. Ad hoc igitur præbet se, vobiscum ut rursus coram Deo conjungatur, & fraternam recens intermissam ut iterum necessitudinem colat: in quo meæ partes sunt ut ex sacris apud vos scripturis repetam primum quod separatim ac propriè de præsentis rei crimine statui debeat, deinde quæ communis omnibus nobis de communi fragilitate nostra cogitatio suscipienda sit. Principio sacrarum scripturarum authoritas duo nos de peccato docet: alterum est quod omnes sine ulla exceptione peccatorum in carcerem detrudimur. Alterum quod ad hunc finem vincula nostra referuntur, non ut semper in illis jaceremus, sed ut ex illis immensam & infinitam Dei patris misericordiam propter Christum explicaremus: quibus rebus facile possumus intelligere quid

ipsi de nostris, deinde de aliorũ criminibus cogitare possumus, & quis in illis nostri sensus esse debeat. Communitas enim illa peccãdi quæ prius ad omnes pertinere dicebatur, in eo nos erudit, naturam sane nostram universam ipsam per se semper ad omne flagitiorum genus ferre. Quapropter, offensiones aliorũ miserabiles nobis videri debent, nec fratres decet in officijs vel claudicantes, vel ruentes aut atrociter accusare aut superbè despicere: sed hoc potius Christianæ conjunctionis est, ut non minor nobis in fratrũ ruinis quantũcunq; magnis & capitalibus dolor accideret, quam si nos ipsi concidissemus. Imo vero fratrũ in nostrorũ occasu, nostram ipsi debilitationẽ & præcipitationem contemplemur, & de illa flebiliter communi voce coram Deo patre nostro conqueramur. Nam illud si verè nobiscũ cogitamus, quòd omnium hominum natura peccati dedecus cõcipit, in eo minus acerbè nunquã alios inspectabimur in quo nos teneri videmus, imo potius mansuete & summisse gratias agemus quòd in tam grande crimen ipsi non sumus prolapsi, nostræq; constantiam innocentiæ vehementissimis adeo & ardentissimis votis flagitemus. Et quoniam quidem omnes peccatorum mancipia sunt illis in miserabilem servitutem dedita, illa nos invicem resipiscentibus & supplicibus condonemus. Nam si secus faceremus, ipsi cõtra nos testimonium diceremus, in eo fraternam improbitatem accusantes, in quo nostra pravitas similiter delinquit. Cum autem in cœno peccatorum omnes ita voluemur, ut nulla nostrorum operum perfectione vel excellentia possimus ex illo extrahi, sed ex sola Dei patris propter Christũ & gratuita misericordia nobis levatio sit, ut ejus ex eo nomen in summa celebritate versetur, & sempiterna gloria, maturus nobis ad pietatem & officium reditus esse debeat, & tempestivus ad singularem Dei misericordiam respectus,

ctus, qui nos in chariſſimo filio & hærede Chriſto tam arcte complexus eſt ut omnem peccatorum noſtrorum pœnam in illum derivaverit, & acerbiſſimis ejus tormentis condonaverit, ſi nos in ſceleribus noſtris ipſi coarguamus, nec flagitiorum noſtrorum excuſationem quærentes culpam in Deum & divinarum legum acerbitatem deflectamus, ſed potius ad illes clementiæ theſauros confugiamus quos Deus pater in filio Ieſu Chriſto condidit, & ad illam perpetuo ſolam adhæreſcentes, ſalutarem ejus & propitium favorẽ uno conſenſu animorum firmè & ſincerè poſtulemus. Neq; vero lautus eſt in hiis rebus aut delicatus dominus & pater noſter Deus ut ad miſericordiam eliciendam aut emendicandum favorem pompa nobis & apparatu verborum opus ſit, animum enim expendit, verba non numerat, ſi nos intimis mẽtium fibris veram & ſævam conqueſtionem deprompſerimus, ac optima fide cõtra nequitiam noſtram ipſi conſtiterimus, & cum ea dimicaverimus, & ad ejus gratiam recolligendam certa ſpe vota fecerimus, præſtò ſtatim eſt Deus, etiam antequã invocetur, ad amplexus ſe noſtros offert, & voces antevertit priuſquam illas ulla ratione moliri poſſimus. Imo vero ſalubrem hanc & neceſſariam peccatorum agnitionem animis noſtris infundit, & hac diſciplina condocefactos ipſe ſuis humeris imponit, & ad beatiſſimum ovile ſuum devehit, & magis exultat in unica perſona tandem ad ſanitatem revocata quæ vera peccatorum agnitione, & morum emendatione ſe recuperaverit, quàm in nonaginta novem juſtis & perfectis viris quos prius regni ſui participes habuit. Hæc igitur cum ita ſint fratres chariſſimi: & collocatus hoc tempore ſit in conſpectu veſtro reus frater qui peccati ſui turpitudinem coram vobis agnoſcere, pœnamq; illius a Domino Deo cõmuni patre noſtro deprecari velit, veſtra in præſentia quam veluti ſanctiſſimam

mam Dei veneratur & reveretur Ecclesiam, & suppliciter petat ut hac submissa sui dejectione viam ad cœtum vestrum invenire possit, & ad superiorem suum inter vos ordinis fraterni locum pervenire, Christianæ vos ex vestra parte manſuetudinis recordari debetis, & vestra delicti cum hujus præſentis rei fratris noſtri peccatis conjungere, perpetuamq; quandam, & ſimilem noſtrarum affectionum conſuetudinem eſſe ſtatuere, ſed & arrogantiam noſtram & ſpiritus frangat, & contumaciam minuat hujus abjectio noſtri fratris, & ſui deſpicientia, qui ſe quemadmodum ipſe quodammodo deſerit & fugit pudore vitiorum confuſus & perculſus, eadem veſtra ſit coram Deo ſcelerum memoria veſtrorum, & verecundia. Deinde cum ad hujus rei publicam & apertam criminum confeſſionem attendentes, & illam optima fide propoſitã exiſtimaveritis, exemplo Domini D i patris illum in humeros veſtros iniciatis, fractaq; & quaſſata graviſſimis peccatorum ruinis, ejus membra clementi fraternæ charitatis lenitate ſuſtentetis, ſic enim miſericordiæ mutuis officiis peccatorum noſtrorum onera ſublevantes, legem illam Chriſti novam & auream faciendæ charitatis inter nos præclarè conſervabimus, & proficiſcantur ad Deum patrem cum hujus rei precibus veſtræ preces, pregnant cum ejus lacrimis etiam veſtri fletus, & ita demum certam divini favoris fiduciam animo ſuſcipietis, quòd propter Chriſtum immenſam nobis & infinitam miſericordiam impartire velit, omnes una cum hoc reo fratre noſtro veniam peccatorum expectemus, & id ipſi reum ad nos fratrem pie & officioſe ſuſcipientes, noſtris quomodo poſſumus ſtudiis conteſtemur. Quæ majore ut in luce verſentur, & facilius cerni poſſint, reum hunc chariſſimum fratrem, interpoſita mei muneris ratione, membrum aſſumamus & agnoſcamus communis in Chriſto noſtri corporis.

poris. Et intimus vt noſter affectus in hoc corporis noſtri recuperato membro teſtatior ſit, publicis illũ & precibus & gratulationibus, & ad extremum etiam oſculis conſignemus. Tu vero mi frater primum & ante omnia in te ipſe diſcende, ac tuum ipſius animum teſtem & judicem adhibens, Deum omnibus partibus perſcrutare, cogitato coram Deo cõſiſtere, non coram hominibus ſolũ apparere, nec in hoc ſæculo tantum hæc cũ hominibus te tractare puta, ſed in cœlo præcipuè corã Domino patre noſtro. Quapropter diligẽtiſſime tibi circumſpicienda ſunt omnia, ne religione mei numeris ad illudendum Deo & ſpiritui ſancto turpiter abutare. Certè quidẽ (mi frater,) utcũq; nos tumultuamur miſeri, Deus nos erudiet. Itaq; vehementer, & iterum atq; iterũ provide, ne quicquam in hoc negotio ſanctiſſimo, veteratoriè, vel diſſimulãter feceris. Nos externi teſtes ſumus ſummiſſionis tuæ, quam cõtemplati ſumus, ſed Deus in ſecretos, & penitus abſtruſos mentis tuæ ſeceſſus intrat, & ulciſcetur graviſſimè ſi quicquã in te perfidiæ deprehenderit. Quapropter amplica mi frater, quantum in te eſt, Dei gloriam, quod uberrimè facies, ſi tuorum vitiorum ſordes vehementer & ſerio deteſtatus fueris, & prorſus eorum omnem memoriam abhorreas. Is enim maximus eſt divinæ gloriæ ſpẽctator, ut nos ipſi averſantes & abjicentes, Dei favorem per Chriſti filii ſanctiſſimũ nomen imploremus. Et hoc unum eſt excellens divinæ bonitatis lumen, ut ſpretis omnibus aliis & conculcatis, ſola Dei patris & gratuita miſericordia conſervemur, quam tibi ſalutem, & nobis etiam omnibus, largiatur Deus pater, cui cum filio ſit & ſpiritui ſancto, ſempiternus honos. Amen: hanc orationem cum Paſtor explicuerit, reus in oculis & auribus Eccleſiæ circumfuſæ, verba quæ ſequuntur, clarè diſtincteq; pronunciabit: Æterne Deus, omnium rerum author, & parens,

tu cœlum, & terram, & quæcunque collucentia ſunt in illis ornamenta, jam inde ab initio tui nominis ad gloriam & uſum vitæ noſtræ præparaviſti, tui nos ut honoris, & laudis, maximam ſemper rationem haberemus, & ad ſanctiſſimam voluntatem tuam, omnes actiones noſtras dirigeremus. Verum ego teterrimus inter omnes & ærumnoſiſſimus peccator, ab hoc tuo tam ſancto ſalubrique conſilio reſiliens, tuam diviniſſimam majeſtatem, immani perverſitate mea, graviſſime violavi, ſummoq; meo damno, & periculo puriſſimam illam innocentiæ veſtem, qua me baptiſmi ſacramento per Chriſtũ ſervatorem noſtrũ cooperueras, labe ſcelerum infeci, & pollui. Deinde ad extremum, a me perdite prorſus abjeci, meq; ab Eccleſia, cui, per baptiſmum infundebar, perfidioſe diſjunxi. Quo factum eſt, ut in miſerabilem peccatorum ſervitutem detruſus fuerim, & a tua majeſtate nihil præter horribilem pœnam & ſempiternum exitium expectare poſſim. Sed tamen ingenti promiſſorum tuorum fiducia, quibus favorem & veniam omnibus denuntias, quantumcunq; ſceleſtis & flagitioſis, qui Chriſti merita certa fide prenſantes, & ad illam ſemper incubantes, acrem & magnum ex ſuis criminibus dolorem accipiunt, & in illorum recordatione gemunt & lugent: peccatum coram te meum (mi pater) & coram his fratribus meis, in hac Eccleſia præſenti tua collocatis, libenter profiteor, agnoſco, deteſtor, & execror. Quapropter parce mihi, Domine Deus, miſerere meæ prorſus miſerabilis & afflictæ conditionis tuam appello miſericordiam infinitam, immẽſam. Teterrimus peccator, appello tuam cogitationem, ſuperiorem miſericordiam, O Deus pater, propter filium tuum, & ſervatorem meũ Ieſum Chriſtum, qui pro communibus omnium peccatis, incredibili quodam humani generis amore ad atrocem, & infamem crucis mortem, truſus eſt, miſe-

rere

rere mei, mei inquam abjectissimi, & luctuosissimi, & facinorosissimi peccatoris, miserere. Tuq; posthac tantum robur mihi spiritus infunde, tuum ut semper nomen, perpetua beneficiorum tuorum memoria colam, & clementiæ tuæ laudem, actionum, & officiorum, constanti integritate, privatim, & publicè testificare, dilatareq; possim.

¶ *Cum hæc recitarit, erectus astet, in altiorem aliquem locum translatus, ex quo facilè videri possit, & audiri, clarè dicat, ea quæ sequuntur & apertè.*

FAteor ô viri fratres, fateor me, gravissimis sceleribus meis, & Deum meum imprimis, deinde vos etiam omnes incredibiliter offendisse, meq; adeò fateor omnibus modis indignissimum, ut Ecclesiam vestram rursus assumar, ac ad membra preciosissimi corporis Christi annumerer, quoniam sanctissima cœlestis mei patris mandata flagitiosissimè scelestissimèq; projeci & conculcavi, & Christi servatoris mei, sacrosanctum sanguinem, quo sum ex faucibus inferni ereptus, quantum in me fuit, immani flagitio prophanavi. Vobisq; fratres, peccandi licentiam, & impietatis exemplum, subministravi.

¶ *Deinde suum intextat peccatum cujus rem est factus, & eo expositio, sic instituto sermone pergat.*

IN hac igitur mea tam inquinata vivendi ratione, mihi ipse sum gravis, & maleficii mei labes est ea quidem omnibus modis mihi intollerabilis, atq; adeo vos omnes, per Deum immortalem obtestor, ne meo corruptissimo quasquam exemplo maleficiũ ad hoc prælens meum, aut hujusmodi aliud adducatur. Imo terreri potius miseria vos mea

decet, ne simili vos dedecore contaminetis. Deinde supplici-ter à vobis peto, per immensam Domini nostri Iesu Christi charitatem, per ejus acerbissimam mortis in cruce perpessionem, qua totum genus humanum a diaboli vinculis liberavit, ut præsens hoc crimen meum condonetis, in quo præclarissimam ecclesiæ vestræ societatem turpiter inquinavi. Deinde vos etiam magnoperè rogo, me rursus ut ad cœtum vestrum quantacunq; perversitate fuerim, clementer aggregetis.

¶ *Tum pastor, circumfusam ecclesiam sic interroget.*

VUltis (viri fratres) huic reo resipiscenti, suam condonare culpam, qua cœtum hunc vestrum offendit, & ejus causam communibus vestris precibus Deo patri commendare, suam ut illi misericordiam impartiat, & quod nos hic in terris facimus, ille velit idem in cœlo confirmare? Respondeat populus, volumus.

¶ *Rursus pastor sic interroget.*

VUltis nè reum hunc in vestrum cœtum recipere, charissimorumq; posthac in numero fratrum habere? Respondeat populus, volumus.

¶ *Tum pastor reum in genua inclinatum, sic alloquatur.*

CHarissime frater, quoniam in conspectu totius ecclesiæ, professus es maximum & summum te tuo ex flagitio dolorem cepisse, & intimis propter illud sensibus commotum fuisse, præterea cùm ecclesiasticæ disciplinæ tranquille, & summisse subieris, deinde cum a Deo criminis veniam depoposceris, & tandem a fratribus demisse & supplici-ter requisiveris, vehementer ab illis contendens, ne tuo exem-

exemplo ad delinquendum abutantur, sed potius fruantur ad recte vivendum: deniq; cum illorum tibi charitas veniam concesserit, & ad suam societatem rursus apposuerit.

(¶ Hic pastor, rei capite contracto, ita pergat.)

EGo te coram hac Ecclesia, cujus mihi administratio commissa est, te tuorum pœna delictorum, & excommunicationis exolvo vinculis, per authoritatem Dei, potestatem Iesu Christi, & spiritus sancti, consentientibus hujus Ecclesiæ præsentibus membris, & etiam ordinario suffragante, tibiq; rursus pristinum in ecclesia tuum locum, & plenum jus, restituo.

¶ His rebus conclusis pastor reum complectatur & osculo sancto fratrem agnoscat, eumq; manibus attollat, & medio templo propè mensam deducat, communioni præparatam, accinens interim Te deum, vel gloria in excelsis, vel, ut maximè convenire videbitur, & chorus in alternis versibus perpetuo succedat, ad finem pastor addat. Sit nomen Domini laude affectum, Respondeat populus, Ex hoc tempore usq; ad omnem æternitatem. Sequatur hiis verbis oratio.

AGimus tibi gratias (clementissime pater) quòd hunc fratrem nostrũ a lata via quæ sempiternum ad exitium desc endit, maturè tua singulari misericordia revocaveris, & salutarem resipiscendi spirituũ illi suppeditaveris, qui dux ad vitam æternam est, ut ex pestiferis diaboli paludibus emergẽs, in dulcissima Iesu Christi servatoris nostri pascua commigravit, ac propriũ se receperit ad gregem, a quo, periculosissimè jam antè peregrinabatur. Itaq; tuum in perpetuo sit honore nomen, tua semper laus, perpetua commemoratio

ratione noſtra dilatetur, tua nobis gloria continuis officiorum noſtrorũ ſermonibus uſurpetur, & frequentetur, cùm in omni reliqua infinita bonitate tua, tum in hoc particulatim fratre noſtro, quem noſtra communi lætitia & exultatione reduxiſti in viam, ut ex ejus parte, recuperata ſalute, maximum gaudium caperemus: qui ſua prius calamitoſiſſima ruina, ſummum nobis dolorem afferebat. Quapropter quæ ſumus, ut hæc ad te, pro fratre noſtro fuſa vota perveniant, & in illis, ipſe pondus & firmitatem eſſe velis, ut ille nobiſcum, & nos una cum illo, timore fide, ſpe, dilectione reliquorum, comprehenſione tuorum mandatorum ad tuam voluntatem vitam omnem noſtram confirmemus, & in perpetua veneratione tui nominis ſemper acquieſcamus. Animadverte Deus pater, animadverte, nobiſq; ſpiritum tuum, tuis famulis largire, propter Ieſum Chriſtum, qui tecum vivit & regnat, in unitate ſpiritus ſancti Deus. Quum paſtor extremam hanc orationem terminaverit, ad reum jam planè reconciliatum ſe convertat, & cum illo vehementer agat, ne rurſus ad peccandi licentiam recidat, oſtendens quàm periculoſæ ſint ſecundæ ruinæ, quibus authoritate ſcripturarum, extrema neceſſe prioribus eſſe deteriora, deq; ea re publicam requirat profeſſionem, quod firmè ſecum ipſe conſtituerit, quemadmodum a Deo ſe poſtulat & ſperat adiuvari, diligentiſſimam & ſummam adhibere cautionem, ne Dei poſthac iram incurrat, & a ſanctiſſimis ejus mandatis tam longe peregrinetur ut rurſus publico fidelium cœtu ſit illi merito carendum. Deinde & Deum ipſe rogabit, & ad id communes Eccleſiæ preces poſtulabit, ut ſuum Deus hoc inſtitutum conſtabiliat, & in Chriſto Ieſu corroboret. Quoties aliquis excommunicatione, propter peccatorum magnitudinem ejectus ex Eccleſia, proprium authoritate judicium ad hoc adhibita, rurſus in

ſuum

suum cœtum hac quæ anteprogressa est formula, receptus fuerit, crimine solutus, curet ut ad certum tempus sibi præscriptum, ordinarius suæ reconcilationis certior fiat, & illam singrapha subscribat primum ipse pastor, vel ejus vicarius, & aliquot' ex gravissimis & integerrimis in Ecclesia viris, qui rei gestæ interfuerint, partim ut ipsa reconciliatio testatior esse possit, partim ut ordinarius cum actum fuerit, intelligat, & in eo quod piè Christianèq; factum est, communem cum aliis læticiam percipiat.

DE IVDICIIS ET VBI QVIS AGERE VEL CONVENIRI DEBEAT.

¶ *Quid judicium.* Cap. 1.

IVdicium est actus legitimus, ritè ac ordine pervestigandi & decidendi, quæ in controversia apud judicem producuntur.

¶ *De judiciis ordinariis.* Cap. 2.

ORdinaria judicia sunt in quibus ea omnia requiruntur quæ in legitima causarum cognitione observari debent.

¶ *Ordine omnis juris non servato, processus redditur nullus, si judicium fuerit ordinarium.* Cap. 3.

IN Iudiciis ordinariis civilibus, ad pronunciandum summam sufficiat plena cognitio causæ. Verum in criminalibus propter periculum, acerrima indagatio adhibeatur,

neq; in illis pronuncietur, nisi cognitio causæ habeatur plenissima, & probationes fuerint ipsa luce clariores.

¶ *De judiciis extraordinariis.* Cap. 4.

IN extraordinariis judiciis procedendi ordo non observatur, quo ad omnia. Describuntur autem judicia summaria de plano, & sine strepitu, & sine forma, & figura judicii.

¶ *De judiciis summariis.* Cap. 5.

IN summariis judiciis, lites absq; exacta probatione possunt definiri, ut si actio sit ad exhibendum, & quo ad omnes alias quæstiones quæ circa indagationem principalis causæ emergunt, modo tale fuerint ut earum definitio non pariat præjudicium litigantibus, quo minus jus suum alio judicio prosequi possunt. Illa quoq; summaria sunt judicia in quibus probationes adversus absentem admittuntur.

¶ *Processus de plano & sine strepitu judicii.* Cap. 6.

QUandoq; de plano, vel (ut dicitur) sine strepitu procedi potest, quando a judice extra locum ordinarium, dum pro tribunali non sedet, & feriis non observatis judicium agitatur, recipiendo libellum actionis, aut literas appellationum, & quicquid est eorum quæ parti adversæ non pariunt præjudicium. Quinquim & integras causas nonunquam de plano cognosci posse volumus: ut cum levia delicta sunt punienda, in quo tamen judicii genere cæteras observationes juridicalis processus non volumus prorsus omitti.

¶ Pro-

¶ *Processus absq; forma & figura Iudicii.* Cap. 7.

PRocessus absq; forma & figura judicii, tunc fit, quando ea tantum quæ sunt juris naturalis in processu conservantur, & citatio legitimarum personarum, qui mandatum exhibeant, qui postulare quippiam nomine alterius velint, petitio, defensio & alia hujusmodi. Ea vero quæ solius juris civilis & positivi sunt recitantur, ut libellus fieri ob necessitatem hominum constitutæ litis contestatio & similia.

¶ *Quando procedere licet summariè & de plano, & sine strepitu, ac forma judicii.* Cap. 8.

IUdex in cognitione causæ nequaquam pro suo arbitrio summatim de plano & absq; figura & forma judicii procedat, sed tantum cum id ei nominatim a legibus nostris permittitur. In causis beneficialibus, matrimonialibus, testamentariis, nec non decimarum, & usurarjarum, ac eas quoquo modo tangentibus simpliciter, ac de plano, & sine strepitu & figura judicii processus fiat. In aliis autem civilibus judiciis, & criminalibus non notoriis, ordinem judiciorum observari volumus, nisi ex consensu partium aliud statuatur, vel ex commissione nostra regali rescribatur.

¶ DE CRIMINIBVS.

CAP. 1.

CRiminalia judicia tunc agi dicantur, quando in judicio ipso de crimine agitur, vel animadversione juridica puniantur, quod interdum fiat per accusatores, quando que per denunciatores quia ad judicem de eo

referant. Nonnunquam judex ex officio suo inquirat, non existente accusatore aut denunciatore. Aliquando verò per exceptiones inter litigantes objectas. An vero in hiis criminalibus judex ordinariè vel extraordinariè procedere debeat, partim ex legibus, partim ex verbis commissionis factæ sibi, a nobis, intelligat.

¶ *De criminibus notoriis.* Cap. 2.

QUando crimen est notorium, non requiritur observatio judiciarii ordinis, sed evidentia. Cum jam constet a quo crimine sit commissum, satis esto citari obnoxium ad audiendum sententiam, ut si quis habeat, probabiles afferat causas, propter quas, ad hanc vel ad illam pœnam condemnari non debeat. Et si crimen sit notorium, nulla tamen legitima sui defensio neganda est, cum de crimine constet notorio, seu citatus veniat, seu non veniat, contra eum summariè procedatur.

¶ *De crimine non notorio.* Cap. 3.

DE crimine si qua dubitatio fuerit, cum eam probationibus tolli sit necessarium, & quidem luce clarioribus, judiciarium ordinem severissimè servari volumus. Etenim error in his non potest esse nisi nocentissimus.

¶ *De criminali accusatione.* Cap. 4.

AD accusandum criminaliter nemo admittatur, nisi prius astrinxerit ad scribendum pœnam, cui accusatus victus, subjici debuerat, si succumbat in judicio, & nisi fidejussores dederit quibus de lite prosequenda caveat.

¶ DE

DE IVDICIIS.

¶ *Iudex non suus ex consensu sit suus.* Cap. 1.

IVrisdictio cujuslibet judicis non sui qui tribunali præest, vel aliam jurisdictionem habet, ex partium litigantium consensu prorogari possit, at privatorum consensus judicem eum non facit qui nulli præest jurisdictioni, nec quod eis statuit rei judicatæ continet authoritatem. Non solum expressè sed etiam tacitè prorogatio fieri possit. Nam si litigatores judicem non suum scienter admiserint, jurisdictionem illius prorogare intelliguntur. Si quis in aliquem judicem coram ipso & cum suo adversario consentit, quòd ob certam aliquam causam non potest in ea illum declinare, non videtur in judicem consensisse, qui edi sibi genus apud eundem judicem desiderat actionis.

¶ *De judiciis delegatis.* Cap. 2.

CVm judex ordinarius unum ex pluribus delegatis judicare vetat, cæteris id committere videtur.

¶ *Qui judices nequeant esse.* Cap. 3.

NOn omnes homines indiscriminatim judices esse possunt. Quidam enim natura impediuntur, ut surdus, mutus, & perpetuo furiosus, quia judicio carent. Quidam lege impediuntur, ut infames, quidam moribus ut fœminæ & servi, non quia judicium non habent, sed quia receptum, est ut civilibus non fungantur officiis. Quidam ut impubes, & minor octodecim annis, tales enim judices esse non permittimus, etiamsi ex consensu litigantium postulentur.

¶ De-

¶ *De recusatione judicis.* Cap. 4.

IUdex etiam ordinarius potest recusari ex omni causa qua verisimiliter in favorem alterius partis inclinare præsumitur. Sed qui recusat, causas debet exponere ac verisimiles ostendere. Si alter ex litigatoribus judicem solum hæredem, vel ex parte executorem fecerit, alius judex necessario sumendus est, quia iniquũ est aliquem suæ rei judicem fieri. Observandum est ne is judex detur, quẽ altera pars nominatim petit, id enim iniqui exempli esse judicamus, nisi hoc specialiter a nobis dignitatem judicis petiti permittatur.

¶ *Succedens judex supplere potest quod præcedens non præstiterat. Mortuo judice, succedens in ejus locum potest procedere juxta formam retroactam, prout ille potuit, in cujus locum successit.*

SI judex, cui certa tempora præstita erant, decesserit, & alius in ejus locum datus fuerit, tanta ex integro in persona ejus præstita intelligemus, quamvis delegans nominatim hoc in sequenti datione non expresserit, quanta prior judex, qui decessit, præstiterat: ita tamen, ut legitima tempora non excedant. Qui judex est in judicio possessorio, idem esse debet in petitorio, ne causæ continentia dividatur.

¶ *Tres judicii partes.*

TRes partes habet judicium: principium usque ad litis contestationem: medium usq; ad conclusionem in causa, & finem per sententiam.

¶ *De citatione.*

PEr citationem inchoatur judicium, & jurisdictio perpetuatur, eum qui in jus vocandus est, non tribus ædictis,

ctis, sed uno peremptorio pro omnibus (ut circuitus evitetur) vocari placuit.

¶ *Quando partes procuratores mittere possunt.*

IVris esse ambiguum non videtur, judicem ordinarium sine delegatum jubere non posse alterutram partium coram se personaliter comparere, nisi causa fuerit correctionis, vel nisi pro veritate dicenda, vel pro juramento calumniæ faciendo, aut alia juris necessitas partes coram eo exigeret personaliter præsentari. Principales personæ non procuratores, aut advocatos, super facto in judicio proposito, sed pro se ipsis respondere debent, si judex eas interrogandas vel examinandas fore duxerit.

¶ *Citatus comparere debet coram judice etiam non suo.*

SI quis ex aliena jurisdictione ad judicem vocetur, debet venire, judicis enim est existimare an sua sit jurisdictio, vocati autem est non contemnere authoritatem judicis. Nam & privilegiati in ea sunt causa, ut in jus vocati veniant, & privilegia sua allegant.

¶ *Mutatio loci post citationem non sufficit ad declinationem fori.*

SI quis, posteaquam in jus vocatus est, alterius fori esse cæperit, exceptio illius fori non obstabit, quod ab alio sit jam præventus.

¶ *Citatis tutus sit ad judicem accessus, & recessus.*

AD judicium ecclesiasticum vocatus per judicem secularem, cujuscunq; sit privilegii, eundo, stando, vel redeundo

ceundo non moleſtetur, vel realiter capiatur, ſub pœna decem librarum amplicandarum ciſtæ pauperum.

¶ *De ſolvendis impenſis.*

SI reus vocatus ad judicium comparuerit, & actor nihil objecerit, reus exhibita copia citationis, & fide facta ſuper diem comparationis, una cum expenſis dimittatur. Eum quem temerè adverſarium ſuum in judicium vocaſſe conſtiterit, viaticalitiſq; ſumptus adverſario ſuo reddere oportebit, victum victori judex condemnabit in expenſis, niſi juſta cauſa ei qui ſuccumbit ſubveniat. Expenſas litis judicis eſt, poſt ſententiam, in executione taxare, & deinde juramentum ſuper veritate earundem, parti vincenti deferre.

¶ *De foro judiciali.*

IUris ordo eſt, ut actor rei, & non reus actoris forum ſequatur, rei quatuor rationibus, forum ſortiuntur, in titulo de officio in juriſdictione omnium judicum & ibi exponantur. Cum reus poteſt conveniri in pluribus locis, tunc eſt in arbitrio actoris poſitum, ubi velit eum convenire. Clericus in foro civili, ſi quempiam convenerit, in eodem poteſt ab adverſario ſuo reconveniri, ac ibidem judicabitur, non tamen quoad criminalia, ubi cæptum eſt ſemel, ibi & finem accipere debet.

¶ *Quatuor modis poteſt reus forum ſortiri.*

REi quatuor rationibus forum ſortiuntur. Aut propter domicilium (a judice quippe loci ubi quis habitat eſt judicandus) aut ob delictum commiſſum (ibi enim quis judicatur ubi peccatum admiſit, & deprehenſus fuerit,) Aut ob

ob locum ubi sita res fuerit, de qua contenditur. Nam si de beneficio Ecclesiastico, aut de decimis agrorum, aut domuum litigetur, judex loci earum rerum est adeundus. Aut propter locum contractus: siquidem ubi quis contraxit, plærumq; de contractu est litigandum.

¶ *Ordinarius judex non potest mutare locum consuetum.*

ORdinarius judex in loco majorum jus reddere, & in eodem sententiam proferre debet, nisi de consensu partium alius locus deputetur.

¶ *De libello.*

ACtionem in libello actor non tenetur exprimere, sed factum ipsum, & rei veritatem pure, & simpliciter, ut ex eo jus agendi collocatur, narrare sufficit Iudex quandocunq; de ineptitudine libelli ei constiterit, reum absolvere debet: ita tamen, quod si actor aptum & congruentem libellum porrexerit, reus nihilominus respondere teneatur.

¶ *Iudicium quando solvitur.*

IUdicium solvitur vetante eo, qui judicare jusserat, vel etiam eo, qui majus imperium in eadem jurisdictione habet, vel etiam si ipse judex ejusdem imperii esse cæperit, cujus est, qui judicari jussit. Si unus ex litigatoribus habens procuratorem post litem contestatam decesserit, judicium non solvitur. Nam judex contra procuratorem tanquam Dominum litis usq; sententiam inclusivè procedere poterit: executio tamen contra executorem, seu bonorum administratorem demortui, & non contra procuratorem fiet.

¶ *De causis incidentibus.*

Quoties in causa, & lite pendente, coram judice, aliqua causa incidens, seu emergens concurrit, nihil prohibet, quin

apud eundem judicem hujusmodi causa terminetur, licet principaliter semper eadem cognoscere non possit. Iudicium valet super emergenti, etiam super quo judex non pronunciat, sed ultra processit.

¶ *Infra annum causæ omnes terminentur.*

CVm nonnunquam lites plus justo, per superfluas allegationes, & dilationes protelentur, ideo causas ecclesiasticas omnes post litem contestatam, infra annum terminare volumus, alias peribit instantia. Si judex negligens causam, infra annum sua culpa non finierit, pœna virginti librarum, fisco nostro solvenda, ultra interesse partium, punietur: & partes nihilominus, nisi inter se concordarint, pergant cæpta processus forma, litem prosequi. Si causa infra statuta tempora, propter unius litigantium negligentium non terminetur, tum judex partem negligentem in expensis, & damnis, adversario restituendis, ac in pœna decem librarũ, fisco nostro solvenda, condemnabit, & partes nisi inter se concordarint, cœpta forma processus litem prosequentur.

¶ *De officio judicis.*

IVdici in causa instantionata, cujus instantia elapsa fuerit, testes, & instrumenta recipere, ex suo officio ut tollatur omnis suspitio, non permittitur. Iudices oportet inprimis rei qualitatem plena inquisitione discutere, & tunc utramq; partem interogare sæpius, numquid novi addi desiderent: ac deinde tam in allegationibus facti, quam juris pensatis suam sententiam definitivam in scriptis proferre. De qua re cognoverit judex, de ea quoque pronunciare, per superiorem cogendus est.

Iudex post conclusionẽ, in causa non potest ex suo officio, ali-

aliquid facere, nisi super prius actitatis, si fuerint obscura.

¶ *Pœna Iudicis, scienter ferentes sententiam injustam.*

IVdex parti ad interesse tenetur, si evidentèr arguatur ejus sententia, vel gratia, vel inimicitia, vel etiam sordibus lata: tunc volumus, ut veram æstimationem litis præstare cogatur.

¶ *Absens contumaciter non est audiendus, si appellet.*

SCiendum est ex peremptorio absentem condemnatum si appellet, non esse audiendum, si modo per contumaciam defuerit, sin minus audietur.

¶ *Denondum adultis.*

CVm qui ad ætatem adultam pervenerit, & a tutoribus liberatus sui juris esse cæperit, per se, aut per procuratorem, judicium suscipere posse certi juris est. At infra id tempus, pro se agere, aut defendere non poterit, sed per tutores ejus lites (cum inciderint) agitabuntur.

DE OFFICIO ET IVRISDICTIONE OMNIVM IUDICIUM.

¶ *Iurisdictio ordinaria & delegata.*

INter jurisdictionem ordinariam, & delegatam, hoc interest, quòd ordinaria vel lege, vel privilegio, compositione aut consuetudine: delegata vero ab homine datur & conceditur.

Iurisdictio Regis.

REx tam in Archiep. Episcop. Clericos, & alios ministros, quam in laicos infra sua regna, & dominia pleniſſimam jurisdictionem, tam civilem, quàm eccleſiaſticam habet, & exercere poteſt, cum omnis jurisdictio & eccleſiaſtica, & ſecularis ab eo tanquam ex uno & eodem fonte dirivantur.

Iurisdictio Archiepiſcopi, Epiſcoporum, Archidiaconorum & aliorum.

ARchiepiſcopi, Epiſcopi, infra ſuas dioceſes, & capitulum, ſede vacante, jurisdictionem ordinariam ex lege: archidiaconi vero ac cæteri eccleſiarum prælati ſolum ex privilegio, compoſitione, aut conſuetudine præſcripta acquirunt & habent.

Iurisdictionem ordinariam ex privilegio, compoſitione, vel conſuetudine præſcripta, ante has leges noſtras eccleſiaſticas, per quemcunq; eccleſiæ prælatum acquiſitam, in ſuo robore (ubi his legibus noſtris non adverſatur) permanſuram fore judicamus.

Iurisdictionem ex privilegio, compoſitione, vel conſuetudine præſcripta, per archiepiſcopos, antehac infra ſuas provincias uſitatam (ſi his legibus noſtris non repugnet) non ſolum conſiſtere, ſed etiam per eoldem in futurum exercere poſſe placuit.

Iudicis officium.

CONgruit bono & gravi judici, ex officio ſuo, curare, ut pacata, & quieta & ad pietatem dedita jurisdictio ſit, quam regit, quod non difficilè obtinebit, ſi ſollicitè de malis hominibus conquirat, & prout quiſq; deliquerit, in eum animadvertat, atq; fama, vel indiciis poteſt judex deſcendere ad inquiſitionem.

Iuriſ-

Iurisdictio delegata.

CUi jurisdictio data est, ea quoq; concessa esse videtur, sine quibus jurisdictio explicari non potuit, & ideo potest delegatus partes citare, & contumaces severitate ecclesiastica coercere, etiamsi literæ commissionis id non contineant.

Iurisdictio episcoporum & prælatorum.

HAbeant episcopi in suis diocesibus, & alii ecclesiarum prælati, in suis jurisdictionibus, liberam potestatem de adulteriis, & sceleribus, quæ ad suum forum pertinent, inquirendi, ulciscendi, & judicandi, absq; impedimento alicujus. Et cum opus fuerit, judicium convocent seculare.

De loco judicii.

PLacuit, ut episcopus in quolibet loco suæ dioc. & archidiac, & alii prælati jurisdictionem habentes in locis solitis, per se, vel per alium, sedere pro tribunali, causas ecclesiasticas audire, delinquentium excessus corrigere, & cætera, quæ ad officium spectant, liberè exercere possunt. Nemo tamen pro tribunali, in quorumcunq; loco, sedere de consensu ordinarii loci, prohibeatur.

Archiepiscopi privilegium.

ARchiepiscopus potest eligi in judicem a subditis suffraganeorum, licet suffraganei ignorent.

Pœna in contumaces.

IUdices ecclesiastici in contumaces, & non obedientes, pœnas ecclesiasticas proferant, atq; ecclesiastica jurisdictionis contemptores, hujusmodi pœnis coerceant.

Can-

Cancellarius.

VIcarius Episcopi judex est ordinarius, neq; jurisdictionem habet subdelegatam.

Vicarii jurisdictio, eo mortuo, qui eum fecit vicarium definit.

Ætas judicis.

IUdex non deputetur minor viginti quinque annis.

Quando impunè non paretur judici.

EXtra territorium jus dicenti impunè non paretur, idem est, etsi supra jurisdictionem suam velit jus dicere.

De delegatione jurisdictionis.

MOre majorum ita comparatum est, ut is demum jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure, non alio beneficio, habet. Cui aliqua causa est delegata, illam alteri subdelegare non potest, nisi a nostra regia majestate causa fuerit ei commissa. Nam tunc non solum delegare potest, sed etiam alios cogere ad causam acceptandum, quam ipsis delegaverit, si tamen industria personæ ejus in commissione causæ deprehendatur elector, ipsam totam delegare non poterit. Delegatus tamen nostræ majestatis subdelegato suo non potest dare facultatem subdelegandi. Delegatus etiam majestatis nostræ non potest subdelegare, adjiciendo hanc clausulam, appellatione remota, licet ipse cum ea fuerit delegatus.

Solvi mandatū non dubitatur, si is qui mandaverit jurisdictionem, decesserit, antequam res, ab eo cui mandata est, geri cæperit. Potest judex ordinarius suam jurisdictionem mandare, & aut omnem mandat, aut speciem unam. Nam & is, cui mandata jurisdictio est, fungitur vice ejus, qui mandavit

mandavit non sua. Delegatus regius vices nostras gerit, unde in causa superior est & major illis quorum causam susceperit terminandum. Ideò si quis ligitantium rebellis, & contumax fuerit, secundum qualitatem facti, poterit a judice delegato per censuras Ecclesiasticas coerceri, Delegatus potestatem habet non solum in partes principales, sed etiam in alios qui suam jurisdictionem impediant, ac eos districtione Ecclesiastica, coerceri poterit. Delegatio facta dignitati, non expresso nomine personæ, ad successorem transit, nisi fortasse in commissione fiat mentio anteactæ vitæ, doctrinæ, aut acuminis, & similium, quæ personam, non dignitatem describunt. Sin verò fiat per nomen proprium, morte delegati expirat.

Delegatio causæ illis quoq; personis fieri potest, quæ fuerunt inferiores partibus litigantibus. Si duobus causa committitur, etiamsi non inseritur, ut unus sine altero procedat in ea, nihilominus unus ex ipsis sive suo conjudici, sive alii, vices suas committere potest.

Si causa tribus committitur, cum clausula, quòd si omnis interesse nequiverint, duo eam nihilominus exequantur, priusquam de impotentia tertii appareat, duo nihil in causa agere valeant: sed si aliquis ex ipsis cum posset, noluerit interesse, tunc duo in causa procedant, licet tertius sit arguendus, pro eo quòd mandatum superioris subterfugiat, aut contemnat, idem quoq; per omnia dicimus observandum, in causa quæ committitur duobus, eo opposito, ut si ambo interesse nequiverint, alter nihilominus exequatur.

Iurisdictio pluribus delegata, sine conditione, si non omnes interesse possint, qui valeant adesse, procedant, uno eorum mortuo expirat.

Si plures judices delegati fuerint, omnes oportet actis interesse, nisi expressum sit in commissione, aliquo, vel aliqui-

bus eorum non valentibus adesse, reliquos debere in causa procedere: Quo tamen casu, collega sive collegæ debent a reliquis requiri, an possunt an velint adesse.

Licet Delegatus ordinarii inferioris a principe subdelegare non possit, tamen unam speciem, sive aliquam partem ejusdem causæ committere licitum existat. Delegatum ordinarii inferioris a principe, ad universitatem causarum, subdelegare posse nō dubitatur, cum ordinarius, & delegatus ad universitatem causarum in jure propemodum assimulentur. Delegatus si sit de jurisdictione delegantis, onus commissionis in se suscipere tenetur sub pœna contemptus.

Jurisdictio delegati re integra morte mandantis expirat.

SI quis se asserat esse delegatum principis, vel cum mandatis secretis missum, sciant omnes ei, cujuscunq; sit dignitatis non esse credendum, nisi id scriptis probaverit. Si delegatus pronunciaverit se jurisdictionem non habere, ipsam etiam de consensu partium, non reassumat.

Subdelegatis postquā cæpit causā cognoscere, non potest per delegantem removeri. Vicarius autem episcopi removeri potest quandocunq; voluerit Episcopus, quia non est ejus delegatus. Subdelegatui inferioris a principe aliquem articulum causæ potest subdelegare, & actum (ut appellant) non jurisdictionem quemadmodum est citatio, & similia.

Causa potest alicui delegari, hoc mandato, ne ad ejus decisionem procedatur, nisi adhibito consilio, vel delegantis, vel nominati alicujus prudentis viri, quod si fiat, necessarium erit, subdelegatū priusquā sententiam ferat, consilium audire juxta mandatum: non tamen cogetur, juxta illud, ferre sententiam. Possit enim fieri, ut esset injustum, & contrarium ordini juris, & sententiam tum secundum conscientiam

scientiam tum secundum jura ferenda est.

Illi, cui commissum fuerit excommunicare, vel absolvere aliquos, vel pro delictis pœnitentias injungere, liceat hoc demandare, quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium potius committitur: & tamen excommunicare potest, impedientes eum exercere suum ministerium injunctum, ne illusoria, & sine exitu esset talis commissio.

A delegato ad delegantem appellari debere non ambigitur. Est receptum ut si major, vel æqualis subjiciat se jurisdictioni alterius, possit & pro eo, & adversus eum jus dici.

Audiat judex tantum ea quæ sua sunt jurisdictionis.

PRimùm debet judex, quando audit, id explorare, an jurisdictio earum rerum, personarum, aut criminum, quæ in judicio proponuntur, ad se pertineat: cũq; illi constiterit ea suæ jurisdictionis esse, judicandi munus aggrediatur: sin vero animadvertit ad suam jurisdictionem non pertinere, causam remittat ad proprium judicem, reum ab observatione sui tribunalis absolvat, & actorem in expensis, si quæ interceserint, condemnabit.

¶ *De foro competenti.*

CLerici litigaturi suum Episcopum, seu ejus vicarium adeant, & absq; illius consensu, & voluntate in nullũ aliũ judicem consentiant. De criminibus mere ecclesiasticis nemo quenquã, nisi apud judicem ecclesiasticum conveniat.

Causæ Ecclesiasticæ.

HAe sunt vero causæ subsequẽtes jurisdictionis ecclesiasticæ, beneficiales, matrimoniales, & divortii, causæ testamentariæ, & bonorum administrationis defunctorum, substractionis legatorum, mortuarioum, decimarum, oblationum

tionum, & aliorum jurium ecclesiasticorum, necnon & usurarum, & hæresium, incestus, adulterii, fornicationis, sacrilegii, perjurii, blasphemiæ, fidei læsionis, diffamationis, & cõvicii, injectionis manuum violentarum in clericum, perturbationis divinorũ morũ, correctionis & reformationis cõputus ecclesiarum, & œconomorum, causæq; debiti ecclesiis earumq; ministris, reparationis, & dilapidationis ecclesiæ, cœmiterii, ac aliorum ædificiorum ecclesiasticorum. In hiis namq, causis cum suis incidentibus, emergentibus, dependentibus, & connexis quibuscunq; atq; in omnibus aliis causis, quod ad correctionem peccati spectat, judex ecclesiasticus, & nullus alius se intrõmittat, cognoscat, aut judicet.

¶ *De recusatione judicis.*

ORdinarius judex quando ut suspectus recusatus fuerit, expeditum, & consultum, id est, ut sine mora causam alicui deleget, in quẽ partes tanquã in non suspectum consentiant. Quod si justa aliqua ratione motus facere nolit, causas suspitionis a recusante, corã se jubeat assignari, de quibus an justæ sint, cognoscent, pronunciabunt arbitri, vel a litigantibus, vel a judice, & reo (si nullus fuerit actor) electi, & ne res diutius protrahatur, terminus arbitris est præfigendus, quo de causa suspicionis constituãt, an justæ vel injustæ videantur, qui si non concordarint, una pars unum, & altera alterum deleget, qui intra certum terminum pronuncient. At si non consenserint, ad se tertium advocent & quod duo decreverint, id esto judicatum. Et si definitum fuerit suspicionis causas non esse justas, tum ordinarius munere suo fungatur. Sin vero pronuncientur justæ, ordinarius, aut litigantes transmittat ad superiorem judicem, vel det illis delegatum, in quem tanquam in non suspectum consentiant. Cum vero judex ordinarius fuerit vicarius Episcopi,

aut

aut inferior episcopo, tum episcopus ipse de causis suspitionis judicabit, neq; arbitros adhibere opus erit, nisi episcopus forte extra diœcesin fuerit, aut in loco multo distanti agat, nam tunc arbitri prout dictum est, eligentur.

Causa recusationis.

CAusæ, quibus judex recusari potest, permultæ sunt, ut si reculans cum judice, tanquam cum privato, causam habeat: si judex cum recusantis dignitate causam habeat: si judex noluit recusantem admittere ad osculum pacis, vel ea exhibere illi officia, quæ his præstare mos est, qui sunt paris aut consimilis gradus. Si judex minatus fuerit parti, se velle illi nocere, si præbeatur occasio: si noluerit eum salutare, ut antea consueverat: si judex cum inimicis recusantis frequenter versatur: si mortem aut gravia damna conatus est inferre, si accusavit eum criminaliter. si judex sit dominus partis adversæ: si sit ejus vasallus: si sit ejus suffraganeus: si consanguineus: si fuit advocatus partis adversæ in eadem causa: si judex habet cum alio consimilem causam, potest deniq; judex recusari, si partis sit socius, aut si concanonicus, aut si simul habitet, aut si partis fuerit Doctor, aut discipulus, & si quæ aliæ inveniuntur causæ harum similes.

A judice justè recusato potest appellari.

IUdex suspectus, qui recusatus fuerit justè, ac secundum formam nostrarum legum, si recusationem non admiserit, ab eo appelletur.

Episcopus non delegat causam extra diœcesin.

ORdinarius non delegat causas ad se pertinentes ad locum extra diœcesin, nisi fortasse partes tum temporis ibi commorentur.

Episcopos negligentes Archiepiscopos corripiet.

SI Episcopus fuerit negligens in administranda justicia, pertinet ad ejus Archiepiscopum ipsum compellere ad jus dicendum, illique terminum præscribet, quem si non observaverint absque legitimo impedimento, non modo censuris ecclesiasticis puniet verùm & in æstimationem justam litis damnabit.

De delegatione ad tempus.

INstantia elapsa, judex in causa nihil ulterius aget. Quæ prius tamen acta fuerunt non peribunt, sed ad litem prosequendam, sub altero judice, inservient: Si qua tamen post instantiam fiant, pro cassis & irritis habebuntur. De causis quæ infra certum tempus decidendæ committuntur statutum est, quòd nisi dies præfixus de communi consensu partium prorogetur, transactum mandatum expirat.

Judex non habenti advocatum providere potest.

QUoniam litigando pars compelli non potest ad respondendum, nisi advocatum habeat, ad officium judicis non pertinebit advocatum illi parti providere, quæ advocatum habere non potest, & si videatur, suum domesticum dare poterit. Potest etiam cogere quem voluerit alium advocatum, ad patrocinandum indigenti pro congrua mercede, quam potest ei solvere, & si omnino solvere non possit, ad gratis patrocinandum.

Judex fugientem repetere potest à judice loci ad quem fugiat.

QUando grave delictum commissum fuerit, judex ejus loci potest petere à judice loci, quo reus fugiat, ut illum ad se mittat.

Iudices mutuo opem ferre debent.

SEntentia lata à judice loci, ubi delinquitur, vel ubi domicilium habetur à reo, executioni mandetur (si oportuerit) à judice, in cujus ditione rei sita sunt bona, modo à judice, qui sententiam tulit, id requiratur: quandoquidem judex unius dioceseos non potest exequi in alia dioceſi.

Iudex aliis excommunicatum absolvendi jus committere potest.

IUdici, qui absolvere ab excommunicatione potest, aliis hujusmodi absolutionem committere liceat.

Pœna arbitraria.

VBi certa pœna in jure non reperitur, judex ordinarius, sive delegatus arbitrariam imponere potest.

Iudex appellationis non probabit testamentum, neq. bonorum administrationem concedet.

SI quæstio super viribus testamenti, sive super administratione bonorum defuncti concedenda, coram judice ordinario fuerit, & in causa illa appellatio ad superiorem interposita extiterit, judex ille superior super justitiæ causa pronunciare habent, & is ordinarius, ad quem pertinet, debet testamentum probare, seu administrationem concedere, ac alia requisita & ea necessaria in ea parte facere, in quibus judex appellationis nullo modo, sine expresso consensu ordinarii, se intromittat.

De prorogatione jurisdictionis judicis delegati.

PEr procuratorẽ non habentẽ mandatũ, jurisdictio delegati, de re ad rem, prorogari non potest, cũ procurator

tor ad illa ſolummodo intelligatur conſtitutus, quæ in commiſſionis literis inveniuntur expreſſa, niſi dominus hoc ſcit & patitur.

Excommunicatus ab uno ab alio abſolvi non poteſt.

EXcommunicatus à ſuo judice ab aliis eſt vitandus, nec judex alter cum abſolvere poſſit, niſi ſit ſuperior, qui per viam appellationis, vel querelæ aditus fuerit.

De Litis conteſtatione.

Litis conteſtatio quid ſit.

LItis conteſtatio eſt fundamentum judicii, ex ea enim verè demum lis exiſtit, & in ea verſatur, orituq; ex congruo reſponſo rei, ſeu ad libellum, ſeu ad petitiones, vel in ſcriptis datas, vel in ſcripta juſſu judicis, redactas: neq; reſpicit litis conteſtatio incidentia, vel emergentia, ſed principale caput controverſiæ. Et quando in forma, & figura judicii procedendum eſt, ſi omiſſa fuerit inanibus laboribus & ſumptibus vexantur litigantes.

De confeßione.

CUm libello jam oblato reus confitetur, ex illius confeſſione, lis eſt conteſtata, ſi quidem judex ea habita poteſt ad ſententiam ferendam progredi: Sin vero confeſſio præcedat oblationem libelli, ex ea non fit litis conteſtatio, neq; ſententia fertur, ſed tantum judex reo præcipere debet, ut intra certum tempus, quod debuerit, perſolvat. Si quis ad libellum vel ad petitiones reſpondeat, præmittendo proteſtationem, qua ſe affirmat per illas reſponſiones in animo non habere, ut litem conteſtetur, lis non erit conteſtata.

Con-

Conteſtatio litis non requirit præſentiam actoris.

CONteſtatio litis etiam abſente actore, fieri poteſt, modo libellus datus, aut petitiones in ſcripta redactæ, quas judex reo proponere poſſit ad reſpondendum in judicio. Nam ſi ſequatur reſponſum, quo vel affirmetur, vel negetur petita, ſive proteſtatione alieni animi à lite conteſtanda, lis (quamvis actor abſit) erit conteſtata.

In reſponſione, quæ requiritur ad litis conteſtationem, minime refert, ſive per verba credulitatis, ſive per verba veritatis, reſpondeatur a reo.

¶ *Quare ſit litis conteſtatio.*

LItis conteſtatio in cauſis idcirco exigitur, ut inde liquere poſſit, quænam ſit inter litigantes, de principali negotio, controverſia, quòd niſi planis & perſpicuis verbis, cum petatur, tum reſpondeatur, fieri non poterit. Ideo à judice omnes ambiguitates, & obſcuritates hinc removeri volumus.

Reus in litis conteſtatione certum dabit reſponſum.

SI reus ad petitiones reſponderit, ſe illas neq; fateri, neq; negare, quoniam perinde eſt, ac ſi nihil reſpondiſſet, ad certum aliquod reſponſum urgeri debet.

Reus ad ſingulas petitiones ſeorſim reſpondebit.

CUm in libello multa petuntur, non eſt permittendum, ut una reſponſione reus omnia ſimul in univerſum neget. Sic enim facile judicium eluderetur, nec de lite, inter actiorem, & reum, conſtaret: neq; judex poſſet litem juſta ſententia dirimere. Nam ſæpe contingit, ut ex multis petitionibus,

bus, aliquæ veræ ſint, aliquæ falſæ, ad quas cum una eademq; reſponſione ſatisfieri non poſſit, volumus, ut reus de ſingulis ſeorſim reſpondeat.

Contumax contra ſe ipſum præjudicium facit.

PEr contumaciam non comparentis, minime fit litis conteſtatio. Verum contumax habebitur, vel pro confitente, vel pro negante, prout magis in ejus præjudiciũ vergit.

Exceptiones dilatoriæ litis conteſtationem impediunt.

DIlatoriæ exceptiones litem prorſus non conteſtantur, imo ſi probatæ fuerint (ſaltem ad tempus) vetant ne lis conteſtetur, quia circa principale negotiũ controverſiæ non verſantur, de quo propriè fieri debet litis conteſtatio.

Similiter exceptiones peremptoriæ.

QUædam exceptiones peremptoriæ litem, ne conteſtetur, impediunt, ut exceptio tranſactionis rei judicatæ, & litis finitæ. Quare judex de exceptionibus dilatoriis, & his peremptoriis, quæ litis conteſtationem impediunt, ab initio cauſæ cognoſcere, & pronunciare debet. Aliæ autem exceptiones præter enumeratas, litis conteſtationem (ſi objiciantur) non prohibent.

Teſtes ante litis conteſtationem non admittuntur, ad probandum cauſam principalem, ſed ad probandum exceptiones dilatorias, & peremptorias.

TEſtes ante litis conteſtationem, poſſunt admitti, non tamen quo ad principale totius cauſæ caput, ſed ad probandas, vel improbandas exceptiones dilatorias, & peremptorias,

rias, quæ litis contestationem impediunt.

Testes ad perpetuam rei memoriam ante litis contestationem admitti possunt.

QUamvis communi regula, testes ante litis contestationem recipi non debeant, attamen, si de morte illorum timeatur, aut absentia diutina, sive periculum fuerit, (quando negotium perplexum est, & involutũ) ne rerum gestarum, & ordinis obliviscantur, ad testandum recipientur senes valetudinarii, & quorum vel diuturna ablentia, vel oblivio suspecta est, & cum lis non adhuc fuerit contestata, præmissa nihilominus partis citatione, quæ si haberi præsens non possit, actorem oportebit suum convenire adversarium, tempore, quod judex illi assignabit, computando à die, quo primum conveniri poterit, vel illi saltem (cum possible fuerit) hujusmodi testium admissionem renuntiare, quod si facere neglexerit, recepta testimonia non valebunt.

In quibus causis testes admittantur, de principali causa, ante litis contestationem.

POterunt etiam de principali capite negotii, admitti testes, absq; litis cõtestatione, cum agitur de electione prælatorũ, de postulationibus, provisionibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, præbendis, seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis, decimis, usuris, & notoriis, quibus addimus etiam matrimoniales causas. In his enim simplicitur de plão, absq; forma & figura judicii, procedi permittimus. In criminalibus actionibus, quando crimen est notorium, testes recipiendi non sunt, nisi lis fuerit contestata, cum is, cujus agitur causa, in iis gravissime periclitatur.

Quando non requiritur litis conteſtatio.

NOn requiritur conteſtatio litis, ubi non agitur contra certam perſonam, ſed tantum judici concluditur: quã vis aliorum utcunq, utilitas, & præjudicium attingatur. Item ubi cauſa mere ſpiritualis fuerit, quæ abſq; alicujus incommodo tractetur, in ſententiis interlocutoriis, & ſententiis cenſuræ, nec non quæſtionibus emergentibus, in omnibus notoriis, & ſummariis proceſſibus. Atq; cum jus agendi ad publicum commodum dirigitur. In inquiſitione criminum ſi eam quiſpiam impetravit, & ejus proſequutor fuerit, litis conteſtatio adhibeatur: ſed ſi judex, ex officio ſuo, ſponte moveatur, litis conteſtatione minime opus erit. Ubi litis conteſtatio non requiritur, volumus, ut primus actus, qui poſt litem conteſtatam fieri ſolet (ut eſt receptio teſtium, & id genus alia) exceptiones dilatorias, quas ipſa litis conteſtatio excludere ſolebat, penitus excludat, vimq; & effectum ipſius litis conteſtationis, etiam in cæteris omnino habeat.

Vel de litis conteſtatione ſic ſcribatur.

QUandoquidem in cauſis ad forum noſtrum Eccleſiaſticum pertinentibus quibuſcunq; nullus libellus ſed petitio duntaxat ſimplex in actis redacta, requiratur, ſtatuimus, quòd nec litis conteſtatio in præfatis cauſis, quoviſmodo exigatur, ſed abſq; ea ad finem uſque cauſarum, omnino procedatur. Volumus autem, quòd primus actus, qui poſt litem conteſtatam fieri ſolet (ut teſtium receptio & id genus alia) exceptiones dilatorias, quas ipſa litis conteſtatio excludere ſolebat, penitus excludat, vimq; & effectum ipſius litis conteſtationis etiam in cæteris omnibus habeat, & obtineat.

De

DE IVRAMENTIS ET PERIURIIS.

De differentia juramentorum. Cap. 1.

QUemadmodum juramenta, quæ ad Dei gloriam, vel ad fratrum utilitatem aliquid afferunt, Christianis concessa sunt (modo suscipiantur in judicio, justitia, & veritate) sic illa jurandi levitas, ex animis & sermonibus nostris exterminari debet, quæ familiaribus & quotidianis in colloquiis nostris volitat. Posterioribus enim istis Dei reverentia minuitur, & in perjuria facile incurritur. Quare qui perversa jurandi consuetudine contaminati sunt, & moniti ab ea, absterreri non possunt, illos (quoniam Dei nominis contemptores sunt & divinarum rerum) justo supplicio coerceri oportet.

De pœna temerarii juramenti. Cap. 2.

QUi temere jurantem audierit, aut sine justa causa, quãcunque personam statim eam admoneat, ut duodecim denarios proximo die dominico conferat in communem thesaurum, quem cistam pauperum vocant, & in illius loci cista pecuniam deponat, in quo jurandi crimen est admissum. Et hoc si facere persona rea neglexerit, nomen ejus ab illo, qui audierit, ad Ordinarium deferatur, iŝ ad se personam evocabit, & illi culpæ pœnam publicè implendam præscribet, nec tamen à mulcta duodecim denariorum liberabitur.

Forma publicæ pœnæ. Cap. 3.

PUblica pœna temerè jurantis hæc erit, ut nudo capite astet ante suggestũ, & altiore loco quã sunt cæteri, tantisper donec homilia die dominico recitatur, & illa termi-

nata, statim in eodem loco confiteatur, se temeritatis suæ vehementer pœnitere, qua, sine causa, jurando Dei sacrosancto nomine sit abusus.

Forma legitimi juramenti. Cap. 4.

LEgitimum autem juramentum, iis verbis, & nullis aliis, Iuscipi volumus: Ita me Deus, per Dominum nostrum Iesum Christum, adjuvet.

Perjurium quid sit. Cap. 5.

VT facilius à scelere perjuriorũ abesse possimus, primũ explicanda nobis erit ejus natura, deinde patefaciendũ quàm gravis in eo sit dei offensio. Perjurium autem est mẽdacium juramento confirmatum, vel juramenti liciti violatio. Perjurus autem is habetur, qui sciens, & proposito fallendi juramẽto quemquam dolose circumvenit, aut qui volens juramentum licitum violat, aut qui jurans verba tam perplexè involvit, ut juramenti sensus non percipiatur, contra quam fraudem, hanc regulam semper tenere volumus, ut id jurasse credatur, quod is, ad quem juramentum referebatur communi loquentium more intelligit.

De judicibus juramentum postulantibus. Cap. 6.

GRaviſſimum est perjurii crimen, primum enim contra dei præceptum est, deinde deus in eo rei fallæ testis adhibetur. Postremo juramentum, quo veritas, res humanæ societati maxime necessaria, confirmari debet, ad suffulciẽda mendacia, detorquetur. Cum igitur tam vehementer in perjuriis peccetur, judicis in postulandis juramentis, non sunt faciles, præsertim cum ex juramentis, perjuria consequutura non obscure conjiciunt.

De

De pejerantium pœna. Cap. 7.

CLerici, qui scientes & volentes juramẽta de rebus licitis, & honestis interposuerint, si fidem post fefellerint, quam servare poterãt, aut si juramento cõfirmaverint, quæ cum jurarent, ipsi falsa esse sciebant, primum ordinis gradu pellantur, in quo sunt: deinde beneficiis, ut vocant, excludantur, & non solum præsentibus careant, sed etiam ab his omnibus, quæ forte consequi poterant, perpetuo summoveantur. Laicus, qui fuerit in crimine perjurii convictus, si facultates judici videbuntur hoc ferre posse, decem libras in cistam conferet, pauperum ejus loci, in quo perjurium est admissum, & publica confessione, coram ecclesia, suam sibi culpam displicere cõtestabitur, si vero rei convicti non sint tantæ opes, ut mulcta possit ad decem libras pervenire, tum in ecclesiæ conspectu, publicè crimen suũ agnoscat, & ante suggestum astet capite & pedibus nudis, toto tempore, quo vel homilia perjurium tractans recitatur, vel concio peragitur, atq; hæc universa patiatur, isto modo, tribus diebus dominicis continue succedentibus, & in cistam pauperum conferet, quantum ejus facultates judicabũtur ferre posse. Iudici tamen ecclesiastico potestas erit, ut pro circumstantiarum ratione, sua sapientia, vel demat de præscripta pœna, vel ad eam addat. Interim hoc ipsis judicibus nostris vehementer imperamus ut in hoc horribili crimine perjurii, cujus nullum modum, aut finem homines inveniunt, non conniveant. Nam si quicquam eorum neglexerint, quæ à nobis in hoc genere proposita sunt, jam antea denũciamus, illis hanc illorum flagitiosam socordiam, in summũ incursurũ nostrũ odium. Quin & hoc æquissimè videtur à nobis adjiciendum esse, ut quicunq; causam perjurio scientes dederint, eisdem pœnis cõprehendantur, quibus perjurii convictos ante subjecerimus. Hoc autem summatim ad omnes per-

pertineat, in quibus crimen perjurii convincitur, ut infames sint, nec ad testimonium dicendum admittantur, nec unquam post tempus perjurii, juramentum illis deferatur, nisi forte oneris juramentum sit, in quo suam ipsi causam deteriorem faciant. Deniq; quicunq; perjurio alteri damnum dederit, cogatur illi penè pro damno satisfacere.

De legitimis juramentis non detrectandis. Cap. 8.

NEc tamen iis perjurii pœnis homines, ab omni genere juramentorum abalienari volumus. Itaq; si quis, authoritatem legitima jurare, vel juramento interposito respondere jussus sit, judici hoc ritè postulanti non negabit, & si forte negare voluerit, in eo contumax censebitur, & excommunicationis pœnam sustinebit, si major sit quatuordecim annis, & mente integra.

De fide læsa. Cap. 9.

FIrmissimum est vinculum, humanæ societatis fides qua propter in ea custodienda, legibus homines constringi debent. Itaq; si parta vel promissa non consistant, nec impleantur, in quæ vel à juratis vel non juratis consensum est vel seriò tantum affirmantibus, illos qui fidem hujusmodi suam fefellerint, primum arbitrariis pœnis, à judiciis ecclesiasticis, affici volumus: deinde cogantur, ut illis personis plene satisfaciant, quæ sunt illorum perfidia deceptæ.

Exceptiones in perjurii & fidei læsæ culpis, quæ sint. Cap. 10.

Verum superiores hæ leges 2. exceptiones habere debẽt. Altera est, illos non debere perjuros videri, nec fidei læsores, qui cum omnia summa fecerint, ut juramentum & fidem

dum ſervarent, tamem aliqua ſunt hujuſmodi ratione impediti, quam vitare non poterant. Iſtis enim ſatis erit, judicibus probare ſuam voluntatem & operam: ſecundo loco, nec illi ſunt fidei læſores, aut perjuri cenſendi, quibus exciderunt ſubito, nec cogitantibus, nec opinantibus, promiſſa rerum iniquarum, inhoneſtarum, aut quæ fieri non poſſunt, vel ſi primum recta fuerint, & progreſſu temporis in hanc abſurditatem degeneraverint. Hoc tamen poſito, & retento, quòd volens & ſciens, qui rem inhoneſtam, injuſtam, aut quæ fieri non poſſit, juraverit, aut promiſerit, illum quidem hoc crimine non teneri, ſi jurata non præſtet. ſed tamen Eccleſiaſtico judici juſtas temeritatis ſuæ pœnas daturum eſſe.

Generalia juramenta, & promiſſa qualia eſſe debent.

Cap. II.

QUi ſummatim jurat, vel promittat ſtatuta, vel conſuetudines Eccleſiarum, capitulorum, univerſitatem, vel hujuſmodi quoruncunq; locorum, vel ſocietatum, ſe conſervaturum eſſe, non poteſt talis juramenti, vel promiſſi authoritate compelli, res ut iniquas ſuſcipiat, aut eas, quæ fieri non poſſunt. Nec enim jurantis vel promittentis animis ullum honeſtum, ad talem perverſitatem reſpectum habere poteſt. Quapropter in concluſionibus talium juramentorum, & promiſſorum, hoc attexi placet. Hæc omnibus partibus ſervabo, quibus cum ſacra ſcriptura, cum legibus, civilibus, & Eccleſiaſticis hujus regni conſentient, & quantum vires meæ patientur.

DE IVRAMENTO CALUMNIÆ.

Tam actor, quàm reus initio litis, præstet juramentum calumniæ. Cap. 1.

QUoniam calumniantes odimus, & summo studio & cura aversamur, libidinem eorum, qui facilè ac temerè ad litigandum procederint, reprimere sum mopere cupientes, necessarium duximus & præsentem legem ponere, per quam sancimus, quòd non aliter neq; actor, neq; reus in quibusvis causis ecclesiasticis, (nam & in iis frequenter calumniari solet) ad litis certamina admittatur, quàm si in ipso litis exordio, jusjrandum calumniæ subeat uterq;

Iudex cum primum ad munus admittitur, præstet juramentum de calumnia. Cap. 2.

IUdex licet de calumnia in singulis causis non juret, tamen hoc juramenti genus, quoad omnes causas, in universum à se tractandas, ab initio cum suscipit, judicandi munus præstare debet.

Forma juramenti calumniæ. Cap. 3.

TAm actor, quàm reus, cum de calumnia jurant, hæc precipuè testentur, se putare justam habere causam, nolle in universa actione (quæ subsequutura est) quicquam calumniari, nilq; largitos esse, aut largituros, aut per se, aut per alios, vel ad judicem vel ad alios corrumpendos, per quos judicium administratur: nolle tergiversari, aut dolos in probationibus nectere, neq; dilationes, vel in fraudem adversarii, vel ad protrahendam litem, petere, & deniq; se fideliter esse responsuros his omnibus, quæ in judicio (modo ad causam pertineant) ad ipsis requirentur.

Iu-

Iuramentum malitiæ. Cap. 4.

LIcet juramentum calumniæ semel exigatur quoad totam causam, post litis contestationem: attamen juramentum malitiæ, in omnibus litis partibus exigi potest, cum judici visum fuerit, neq; manifestum perjurium timetur.

Discrimen inter juramentum malitiæ & juramentum calumniæ. Cap. 5.

IUramentum maliciæ à juramento calumniæ hoc differt, quòd hoc juramentum (non ut illud) ad totam litem refertur, sed ad illud tantum, quod tunc malicioſe agi præsumitur, debetq; is, à quo exigitur, jurare, se non esse conscium sibi ullius maliciæ, aut fraudis, qua studeat, in eo quod proponit, aut agit, adversarium circumvenire. Potestq; hoc juramenti genus, & ante litis contestationem, & postea exigi, non solum à dominis litis, sed etiam ab eorum procuratoribus, & substitutis, ut dictum est, quoties præsumptio est, malicioſe agi.

Iuramentum aut per dominum litis fiat, aut per procuratorem. Cap. 6.

DOminus causæ de calumnia jurare debet, quando facilè haberi potest, aloqui juramentum sufficiet procuratoris, modo speciale mandatum habeat ad jurandum in ea causa de calumnia. Attamen si à domino fuit, ante discessum, universalis constitutus procurator negotiorum ejus, non erit opus speciali mandato. Si domini litis de calumnia jurarunt, & deinde suos procuratores instituerint, ad litem prosequendam, procuratores etiam de calumnia jurare debebunt, sed ad hoc speciali mandato non opus erit.

Jurans debet non levem habere causæ notitiam. Cap. 7.

OEconomum, seu procuratorem, aut syndicum, qui ad jurandum de calumnia est admittendus, justam, & non levem causæ notitiam habere oportet.

Mortua alteri parte successor idem præstabit juramentum. Cap. 8.

QUando is qui litem instituerit, mortuus fuerit hæres, aut successor ejus, qui litem est prosequuturus, juramentum calumniæ præstaræ debet, licet qui mortuus est juraverit.

In appellatione jurandum. Cap. 9.

IN appellationis quoq; causa de calumnia jurandum est, quamvis ab initio institutæ litis juratum fuerit.

Recusans juramentum calumniæ causa cadat. Cap. 10.

IS à quo juramentum calumniæ, seu malitiæ requiritur, si recuset ipsum præstare, causa cadet, sive reus fuerit, sive actor.

Juramentum calumniæ non est omittendum. Cap. 11.

SEd quia veremur, ne forsitan partes collusione quadam utentes remittant sibi invicem hujusmodi sacramentum, & vel pacto sanctionem nostram deludant, præcipimus (quandoquidem non pro commodo privatorum tantùmodo verumetiam pro communi utilitate, præsentem legem posuimus) quòd judices minime patiantur jusjurandum istud, nedum expressè, sed ne tacitè quidem remitti, sed illud (ut præmittitur) omnino exigant, & nullo modo prætermittant

termittant. Est enim hoc juramentum calumniæ, inter legitimas observationes judiciorum numeratum. Quod si judex neglexerit, præsertim à parte monitus, sententia ejus jure cassabitur.

De probationibus.

Probatio quid sit. Cap. 1.

PRobatio est rei dubiæ, per legitima documenta, ostensio.

Reo confitente, non est opus probatione. Cap. 2.

QUid est opus causam in examen trahere, quam reus sua confessione certam facit, & indubitatam? Proinde non est quærenda probatio, cum reus id quod contra eum principaliter propositum est, fatetur. Probationis facultas amplianda potius quàm restringenda est, ut veritas in omnibus causis eluceat.

Species probationis. Cap. 3.

SIve igitur per testes, instrumenta, præsumptiones, judicia aut famam, probationes offerantur, prudens judex cui multum quoad hoc tribuendum esse judicamus, facile existimabit (pensatis rerum & personarum circumstantiis) quatenus cuiq; credendum sit. Neq; enim ad unam probationis speciem judex sese alligare debet, sed ex justa animi sui sententia æstimabit, quid aut credat, aut parum probatum sibi videatur, cum intelligat, multa sæpe conjunctim evincere, seorsim verò accepta nequaquam fidem facere.

Probatio non est admittenda, nisi reo præsente, aut per contumaciam absente. Cap. 4.

QVanquam verò judici, & non parti, fides facienda sit, volumus tamen aliquod probationis genus adversus aliquem admitti, vel exhiberi, nisi ipso aut præsens fuerit, aut per contumaciam absens.

Probatio facienda est in judicio coram judice. Cap. 5.

PRobatio recipienda est coram judice, & in judicio, non extra judicium, neque coram notario aut tabellione.

Actori non reo interest probare. Cap. 6.

ACtore non probante, reus etiamsi nihil præstiterit, absolvendus est, nisi tantæ adversus ipsum præsumptiones insurgant, ut in eum probationes transferri possint. Alioqui enim non convenit, ut actore palam profitente, se profitenti se probare non posse quod asseveravit, rerum necessitate monstrandi contrarium astringat: cum per rerum naturam factum negantis nulla probatio sit. In negativis tamen, coarctatis loco & tempore, veterem modum probandi observari volumus.

Contrariæ probationes. Cap. 7.

SI ab una & eadem parte, contrariæ probationes aliquando producantur invicem sibi ipsis & merito derogare debent. At si à diversis partibus contrariæ fortassis allegantur, & proponentibus hujusmodi probatione adhibitæ fuerint, fortiori probatione adhærendum erit. Sed si de ea nõ constet, favendum est reo, nisi favor reipublicæ, salus animarum, aut natura causæ aliud suaserit.

In

In communibus judiciis tam reo, quàm actori incumbit probatio. Cap. 8.

IN communibus judiciis, tam actor, quàm reus probationibus onerantur, isq; vincet, qui meliores, & efficatiores probationes attulerit: Sed si omnia hujusmodi æqualia sint, pro possessore judicabitur, nisi favor causæ aliud suaserit.

Post publicationem, non licet contrarias probationes afferre. Cap. 9.

SI de impedimento aliquo, etiam in causa matrimoniali, probationes aliquæ publicatæ sunt, nõ licebit alteri parti contrarias probationes aliquando inferre, vel producere.

In omni actu judiciali adesse oportet aut notarium, aut duos testes. Cap. 10.

IN recipiendis probationibus, atq; in omnibus aliis actibus judicialibus, judex debet publicum notarium, aut duos, loco illius, hõestos viros adhibere, per quos cuncta quæ aguntur fideliter scribi mandamus, ut si quæ postea super actitatis oriatur controversia, ea penitus per ipsa originalia publica & communia tollatur.

Affirmanti incumbit probatio, non neganti. Cap. 11.

VT creditur, qui pecuniam petit, numeratam probare cogitur, ita rursus debitor, qui solutam affirmat, ejus rei probationem præstare debet. Ei enim incumbit probatio, qui affirmat, non qui negat.

Aliena à causa nihil probant. Cap. 12.

PRobatiões vero, vel necessario, vel præsumptivè inferre debent,

debent, id, de quo agitur. Quæ verò aliena sunt à causa, seu controversia nihil probant.

Accusatores in judicium deferre (non) debent rem, quæ probari possit. Cap. 13.

SCiant cuncti accusatores, eam se rem deferre in publicam notitionem debere, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel judiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.

Testes Synodales. Cap. 14.

TEstibus tamen synodalibus, ac aliis probationibus ex magnis & vehementioribus suspicionibus exortis, antequam vim, veteremq; authoritatem reservamus.

Officium injunctum quisq; probare tenetur se impleviſſe. Cap. 15.

QUotiescunq; aliquis ex officio sibi injuncto, aliquid facere tenetur. Ipse semper probare debet quod officium suum hujusmodi, ac onus injunctum fideliter adimpleverit, vel per eum non stetit, quo minus adimplevit.

Monumenta publica. Cap. 16.

CEnsus & monumenta publica potiora testibus esse censemus.

Reus potest probandi onus in se suscipere. Cap. 17.

POtest reus onus probandi in se assumere, & docere de jure suo, licet ad hoc nullo jure astringatur.

Reus exceptiones suas probare debet. Cap. 18.

Qui dolo aliquid factum esse dicit, seu excipit, ipse de dolo docere

docere debet. In exceptionibus quoq; omnibus reus actoris partes sustinebit, ipsamq; exceptionem (ut actor suam intentionem) implere cogetur, qui mutatam voluntatem dicit, probare hoc necesse habet.

Ad probandum ea quæ nihil causam juvant, nemo admittatur. Cap. 19.

AD probationem illius rei, nemo admitti debet, quæ etiam probata nihil relevaret, ne & partes inanibus expensis onerentur, & lites plus justo differantur.

Quando confessio omnibus probationibus sit præferenda. Cap. 20.

PRobationes omnes confessioni partis merito cedere debent. Sive igitur contra instrumenta, testes, aut sententiam, in favorem suum introductam, sive latam, aliquid confitetur, locum semper obtinebit, contrariis probationibus obsistentibus, nisi animæ periculum in causa vertatur, aut leges confessioni hujusmodi resistant, & nisi confessio pro causa confitentis faciat.

Probationes valent, etiam nullo designato termino ad probandum. Cap. 21.

PRobationes non censentur reprobatæ, licet sine assignatione alicujus termini, aut nulla ad probandum concessa dilatione, factæ reperiantur.

Probationes inductæ ad unum effectum valent ad alium. Cap. 22.

PRobationes inductas ad unum effectum facere fidem ad alium effectum inter easdem personas æquum esse judicamus.

Alleganti statuti ignorantiam non facile creditur. Cap. 23.

ALleganti constitutionis, aut statui ignorantiam, non est credendum, nisi probationem suæ ignorantiæ adducat, aut præsumptiones verisimiles, quibus judex (consideratis rei & personæ circumstantiis) possit in plenam probationem alleganti ignorationem juramentum differre.

Probatio per juramentum. Cap. 24.

QUando aliquid ad conscientiam solam pertinet, per juramentum admittitur probatio.

Aliquando negativa probanda est. Cap. 25.

AB ea parte quæ dicit adversarium suum ab aliquo jure prohibitum esse, speciali lege, vel constitutione id probari oportet. Idem respondendum est, si quis neget aliquid recte factum, ipsam præstare debere probationem.

Antiquitatis probatio. Cap. 26.

IN finibus ac rebus antiquis probandis, fama, ac testes de auditu, libriq, antiqui, sine suspitione aliqua confecti, custoditi, & reperti possunt judicem ad credulitatem adducere, ut rectè, pro sic probante, sententiam ferat, nisi adversæ partis fortiores probationes aliud requirant.

Acta judicii fideliter custodienda. Cap. 27.

ACta judicii plenam inducunt probationem, volumus igitur eadem omnia. & singula fideliter descripta, ac more solito, clausa transmiti ad judices appellationis, illud requirentes, seu exigentes, ut ex illis colligant, an per inferiorem judicem recte judicatum existat.

De

DE POSESSIONE.

Cap. 1.

POsſeſſori non incubit onus probandi, res poſſeſſas ad ſe pertinere, cum actore in probatione deficiente, dominium apud poſſeſſorem manere debeat. In poſſeſſionis jure is ſuperior, & victor exiſtimabitur, qui de antiquore poſſeſſione, fidem facere poſſit, maxime ſi illa aliquo titulo juſtificata ſit, niſi altera pars meliores & efficaciores probationes introduxerit, poſſeſſionem ſuam juſtificantes.

Res alienas poſſidens, licet juſtam cauſam tenendi fortaſſis non habeat, non niſi intentionem ſuam implenti reſtituere cogitur.

Si fraude, vel violentia, poſſeſſionem rei alienæ aliquis nactus fuerit, illa poſſeſſio non ſolum illi non proderit, ſed eum fortiori probatione aggravat, ſi ipſe rem ipſam, vel ſuam, vel ſibi debitam poſtea affirmet.

DE FIDE.

De fide inſtrumentorum. Cap. 1.

IN perſequendis litibus, eandem vim obtineant fides inſtrumentorum, & depoſitiones teſtium.

Inſtrumenta publica. Cap. 2.

INſtrumentorum alia ſunt publica, alia privata. Publica quæ à notorio noſtra authoritate creato, cum ſubſcriptione teſtium fiunt. Quæ autem noſtri, alicujuſvè Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi ejuſvè commiſſarii, ſeu of-

ficialis, aut alterius cujuscunq;, publicum gerentis officium sigilli appensione muniuntur, autentica rectè nuncupentur.

Instrumenta privata. Cap. 3.

SCripta privata dicimus, quæ à privatis personis conficiũtur, nec aliquo publico, seu autentico sigillo coadjuvãtur, quæ nisi ex Archivo publico causam in se complectentia, proferantur, vel alii probata fuerint, fidem facere nolumus.

Privata scripta non valent, nisi trium testium subscriptione firmentur. Cap. 4.

PRivata scripta, quibus inter aliquas personas contrahitur, tum in judicio valida sunto, & robur habento, si trium testium subscriptione firmentur, ne manus ambiguitate, atq; charecterum collatione, cum utriusq; partis periculo sit laborandum, nevè perfidè negandi, quæ acta sunt, detur occasio.

Libri mercatorum. Cap. 5.

EXemplo perniciosum est, ut ei scripturæ credatur, qua vnusquisq; annotatione propria debitorem sibi aliquẽ constituit, unde neminem ex suis subnotationibus, debiti probationem præbere posset oportet, mercatorum tamen & aliorum artem aliquam approbatam exercentium, libris, & rationibus, cum aliis adminiculis, plenam fidem adhiberi volumus.

Modus conficiendi instrumenta. Cap. 6.

IN conficiendo instrumento, hanc seriem observari volumus, ut scriba cum primis à dei nomine auspicetur, annum domini subdat, regis nomen, titulum, & regni annum posthac mensem, & diem ejus, & nomen loci, ubi contractus initur. Deinde narrentur, quæ sunt exponenda, testes ad-

adscribantur, aut subscribant. Notarii quoq; obsignatio, cum subscriptione, ac proprio signo, in fine adjiciatur, scriptura cum alieno sigillo minuta non minorem facit fidem, quàm si proprio esset obsignata, si hoc ipsum, & causa in eadem exprimatur.

Scripturarum comparatio. Cap. 7.

SCripturæ legitimo modo comparatæ semiplenam faciant probationem.

Instrumenta ipsa in judicio exhibenda sunt. Cap. 8.

INstrumento publico causam suam probaturus, ipsum exhibeat in judicio, exemplaria nempe nihil faciant, nisi cõgrui judicis authoritate descripta fuerint. Instrumento semel in judicio producto, viso, ac prælecto, sufficiat verum ipsius exemplum, fideliter cum originali authoritate judicis collatum actis judicii esse insertum.

Instrumenta quando exhibenda sunt. Cap. 9.

VNusquisq; instrumenta, usq; ad conclusionem in causa, vel in causis, in quibus non concluditur, usq; ad secundam termini, ad audiendam sententiam, assignationem exhibendi facultatem habeat. Et non potest, nisi judici, qui de causa cognoscit, ex justa causa aliter visum fuerit.

Contraria scripta. Cap. 10.

SIbi imputet, qui contrarias inter se scripturas, in judicio protulerit, fidem sibi invicem derogantes, cum in ipsius fuerit potestate quam maluerit non proferre.

Instrumenta publica valent mortuis testibus. Cap. 11.

Scripta publica, propter mortem testium in eisdem descriptorum

ptorum, deficere nulla ratio permittit.

De exustis aut amissis instrumentis. Cap. 12.

SIcut iniquum est, instrumentis vi ignis consumptis, debitores renuere solutionem, ita non statim casum conquerentibus facile credendum est. Intelligere itaq; debetis, nõ existentibus instrumentis, aliis argumentis probare debere fidem petitionibus adesse. Apud eos, qui rem gestam ignoraverunt, amissorum instrumentorum habita testatio, nihil ad probationem veritatis prodesse potest.

De instrumentis suspectis. Cap. 13.

INstrumentum, si in loco minus suspecto sit abrasum, per hoc non censetur vitiosum, nec corruit ex fractura figilli. Si loco suspecto, instrumentum, vel rasuram, vel lituram habeat, aut aliud aliquod notabile vitium, corruptum quidem est, & improbatur. Verum non in universum, sed solummodo quoad illud caput, ubi vitium est deprehensum. Quo verò ad alia capita, post fidem facere secus tamẽ statuimus, cũ aliqua sua parte, instrumentum falsum convincitur, quoniam tunc totum suspectum redditur, & ut falsum improbari potest. Si sculptura figilli, ejus dignitati vel officio, qui imposuisse dicitur minus conveniat, instrumentum redditur suspectum. Cum chartam scriptura multo vetustiorem, vel dissimilitudinem in cera videas, instrumentum non immerito suspectum habeas. Instrumenti fides, in quo una littera, vel syllaba alterius loco apponitur, vel deest, si de sensu liquere possit, per hoc non vacillat. Propter falsum latinum, ex unius literæ, vel syllabæ appositione, loco alterius, aut literarum transpositione, vel similibus resultans instrumentum corruere nolumus.

Instru-

Instrumenti improbatio. Cap. 14.

SI aliquod instrumentum, quasi falsum improbare in judicio quis voluerit, primum juramento se obstringat, quo se nil calumniandi causa esse ductarum testetur, alioqui non audiatur.

Ad aliquod instrumentum improbandum, quatuor aut quinq, testes ad minimum exigantur, qui sint probatæ fidei, & judici omnino videantur idonei.

De instrumentorum custodia. Cap. 15.

SI de tabulis testamenti, vel aliis instrumentis communibus deponendis agatur, & dubitetur, apud quem ea deponi oporteat, semper seniorem juniori, & ampliores honoris inferiori, & marem fœminæ præferemus.

Instrumentum à diversis tabellionibus factum. Cap. 16.

INstrumentum ab aliquo tabellione inceptum, nec dum vel propter subitaneam fortasse mortem, vel propter diuturnum impedimentum perfectum, authoritate ordinarii, & iis requirentibus, quorum interest, potest à quovis alio tabellione perfici, perpetuam ut habeat fidem.

Descriptio vetusti instrumenti. Cap. 17.

SI instrumentum propter vetustatem vel aliam justam causam describi petatur, congruo judici offeratur, qui si diligenter inspectum in nulla sui parte vitiatum reperierit, per publicam personam præcipiat describi, eandem authoritatem per hoc cum originali habiturum.

Antiquitatis probatio. Cap. 18.

IN factis antiquis, & quæ hominis excedunt memoriam, libros antiquos, & id genus alias privatas scripturas in

Archivo

Archivo publico aliâs fideliter custoditas plenam fidem facere statuimus.

Scripturis autenticis detrahitur fides, si unus ex testibus contradixerit. Cap. 19.

SIgillis autenticis, ac instrumentis, quibus ipsa appenduntur, seu adhibentur, consuetam fidem volumus adhibere donec per probationes contrarias reprobentur, meritoque fides illius instrumenti vacillabit, cui vel unus testis in eodem descriptus contradixerit.

Adversarius non est cogendus in medium præferre quod contra se faciat. Cap. 20.

AC ori deliberandum est antequam agat, quibus probationibus uti voluerit, frustra expectaturus, ut adversarius suus cogatur aliquid, quod contra se faciat, in medium proferre. Civilium tamen legum dispositioni, quoad instrumentorum editionem, per hanc legem nolumus derogari.

De rationibus defuncti. Cap. 21.

RAtiones defuncti, quæ in bonis ejus inveniuntur, ad probationem sibi debitæ quantitatis, solæ sufficere non possunt, nec etiam si in ultima voluntate, defunctus certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas sibi debere significavit.

De crimine falsi.

Crimen falsum quid sit, & quando committatur. Cap. 1.

CRimen falsi, veritatis est immutatio, quæ dolo malo fit, & cum jactura fratris conjungitur, & cum in

in verbis tum in scriptis committitur: deniq; in omnibus quæ in judicio, & usu publico rata & firma esse debent, principio in hoc crimen incidunt, qui falsa testimonia dicunt. Deinde qui mercede etiam adducuntur, vel ut testimonium non ferant, vel ut ferant.

In eodem crimine sunt, qui testamenta supremas hominum voluntates, codicillos, acta, instrumenta, syngraphas, vel alia ejus generis quascunq; probationes, ex quibus in judiciis fides fieri possit, nuntiaverint, vel ulla ratione perverterint, vel ad opprimendam, vel occulenda ista celaverint, diffregerint, combusserint, aut sponte summoverint, aut quorupcunq; scriptorum hujus generis signa corruperint, seu ipsa scripta deleverint, seu quocunq; modo interleverint, nec solum authores ipsi sunt rei, verumetiam, & illi tenentur, qui scripta vel adulterata, vel ullo modo deprivata descripserint, obsignaverint, recitaverint, & incuxerint, allegaverint ad judicium, vel qui talia scripta fieri pronunciaverint aut consenserint ut fierent, modo scientes, hæc egerint, & dolo malo. Tenentur etiã, qui citationes, inhibitiones, decreta, edicta, acta, vel scripta sive civilis fori, sive ecclesiastici, malitia violaverint quocunq; modo, vel eorum obsignationes, & signa seu corruperint, sev pro veris falsa subjecerint. Hoc falsi crimen etiam in illis hæret, qui nomina ponunt in scriptis absentium, quasi præsentes fuissent, vel ipsa nomina distorquent, pervertunt, aut immutant dolo malo. Idem, qui fallas literas, vel edicta falsa, in nomine judicum, tam civilium, quàm ecclesiasticorum mittunt aut divulgant. Ad illos etiam crimen falsi pertinet, qui signis quomodocunque detractis, aut dimotis, alienas literas patefaciunt, licet sint fortè privatorum hominum, & eas vel ipsi legunt, vel adversario ejus, à quo sunt scriptæ, legendas vllo

modo curant, aut permittant: illo semper proviso, quòd scientes & dolo malo faciant: hujus etiam criminis rei sunt, qui apud se depositа quæcunq; instrumenta, cum illis, qui contrarias etiam partes tuentur, communicant, nisi judicis assensu fecerint, aut illius, qui instrumenta deposuit, & cui subserviunt. Eadem est illorum causa, & par culpa, qui testamentum clausum, aut quomodocunq; involutum explicant & evolvunt, si fraus suberat, & si nullum, in patefaciendo, jus habebant, ut id justè possent facere, quod eodem modo valet in his, qui codices rationarios, præsertim mercatorum, quicunq; ratione corrumpunt, vel folia ex illis aliqua eximunt. Participes sunt hujus criminis ipsi etiam notarii, & scribæ, cum testes scriptorum adhibent rerum omnium quæ tractantur, ignaros, si scientes hoc, & dolo malo fecerint. Similiter peccant, qui supplicando, aut petendo quippiam à principibus, mentiuntur, seu veritatem ad rem præsentem necessariam tacent.

Omnis igitur ad principes talis obreptio justissimum habere videtur hoc supplicium, ut illis omnibus careant, ad quæ non veritate, sed mendacio, & simulatione pervenerint. Deinde involvuntur omnes in hoc crimen, qui literas, instrumenta, syngraphas & hujus generis alia quæcunq; scripta, cum illa sciant vitiata, vel depravata esse tamen eadē apud se detinent, & illa nec rumpunt, nec exurūt, nec ullo modo abolent. Imo ne notam quidem apponunt ullam, qua secerni possint. Nam damnum ex illis, ad posteros sæpe descendit. Deniq; illos etiam æquum est huc annumerari, quorum tam insatiablis & hians cupiditas est, ut eandem rem solidam & integram, diversis pactis distrahant, & diversis hominibus divendant.

Hujus

Hujus criminis rei & suspecti quomodo conveniuntur. Cap. 2.

HOs igitur ac eorum similes, contra quos falsi crimen objici potest, judex istis quatuor rationibus conveniet, par inquisitionem nimirũ, aut accusationem, vel exceptionẽ, vel denuntiationem. Qui verò falsi non obsurè suspectus fuerit, cum judex apprehendi curabit, & apprehensum non liberabit, donec illi de veritate plane constituerit.

Convictorum pœna. Cap. 3.

QUi verò accusati fuerint, & legitime convicti, si cõquiri possint, & inveniri, pœnas ecclesiasticas subibunt judicum arbitrio ritè pronunciatas. Deinde fructibus carebunt, & emolumentis quæ fuerant ex scripturis corruptis, aut ulla ratione perversis, ad se perventura, & illis etiam, quæ jam pervenerint. Præterea cogentur, quantum facultates sinent, illis omnibus plenè satisfacere, quorum conditio illorum fraude, ulla in re, deterior facta est. Infames etiam erunt, officiis, & beneficiis, si quæ sunt, removebuntur, & pellentur, & nec officiorum, nec beneficiorum unquam capaces erunt, ex eo tempore, quo in hoc genere criminis convicti damnatiq; sunt. Et si ministri fuerint, munere quo funguntur in Ecclesia, eos excludi oportet.

De scriptis corruptis quid statuendum sit. Cap. 4.

QUoniam diximus falsariis quid faciendum sit, consequens est ut videamus, quid de scriptis ipsis statuendũ sit, quæ quoniã corrupta depravataq; sunt, nullius illa momenti, aut ponderis esse volumus, nec in judicium introduci, quin & illud præcautum sit, ut sententia si fuerit à judicibus aliqua, vel falsorum testium, vel scripturarum violatarum

latarum authoritate, perlata, revocetur eadem, & retaxatur, & omnino pro nulla sit, & alia nova pronuncietur, quæ conveniens sit regulæ veritatis & justitiæ.

Fraus & dolus malus spectantur in crimine falsi. Cap. 5.

INterdum evenire potest, ut aliquis non dolo malo, nec sciens, sed ignorans, & ipse deceptus ab alio, talium instrumentum pro vero sumat, & eo utatur, quòd si accidit, & is qui scripto sit usus, innocentiam in hac re suam judici probare possit, illum omnino volumus hoc crimine liberari, quod nunquam consistere potest, nisi fraus, & dolus malus ibi concurrerint.

Scribæ vitium negligentia inductum quomodò puniatur. Cap. 6.

ACcidit etiam, ut cũ ex Archetypo, vel (ut vulgo nominant) originali describitur aliquod instrumentum, scriba negligens, & non satis animad vertens erret, ad aliquid secus ponat, quod in originali collocatum est. Quòd si nulla fraude factum esse, nec dolo malo, scriba defenderi, & obtinuerit, falsi quidem non damnabitur, sed tamen negligẽtiæ pœnam dabit, quam judex assignaverit. Etenim illum oportet in eo vigilare, ut suam scripturam, ad primum exemplum diligenter accomodaret, scriptum autem ipsum in quo sic aberratum est, nullũ omnino fidem habere potest.

Sigilla universitatum & societatum sine consensu præfecti, & majoris partis universitatis non valent. Cap. 7.

SIgilla capitulorum, ecclesiarum, universitatũ, hospitalium, & aliarum id genus societatum, non opponentur, ad ullum diploma vel scriptum quodcũq; nisi præsens sit, aut con-

consentiat qui in societate præfectus est cæteris, & nisi cum præfecto conspiret, etiam major pars canonicorũ, vel sociorum, vel collegarum, vel ejus cujuscunq; universitatis, penes quam eo tempore rerum generandum authoritas est. Quia in re qui secus fecerint, aut fieri procuraverint, acerbè judicum Ecclesiasticorum arbitratu puniantur, & instrumenta vel diplomata, vel scripta cujuscunq; generis secus obsignata, quàm præcepimus, ut falsa removeri volumus, & pro nullis haberi. Et si forte per illa quicquam damni fuerit, cujusquam rebus illatum, pro illo plenè satisfiet ab his, qui vel ipsi consignarunt, vel effecerunt, vel consenserunt, ut consignarentur scripta secus, quàm à nobis prius est constitutum.

DE TESTIBVS, EORUMVE DICTIS.

Quando testes examinandi sunt ante litem contestatam. Cap. 1.

COnsiderandum est, an probatio per testes fienda sit in causa principali, an in causa accessoria, & emergenti. Si in causa incidenti, & accessoria (cujusmodi sunt, quæ oriuntur ex oppositis exceptionibus dilatoriis, & declinatoriis judicii, atq; etiam peremptoriis quibusdã, ut est exceptio transactionis rei judicatæ, li is finitio per jusjurandũ) non est opus ut expectetur litis cõtestatio, quia tales cõtroversiæ obstant, quo minus fieri jùdicium de principali quæstione possit, nisi de illis prius cõstet id quod cõstare non potest, si non offerantur probationes. Necesse est itaq; testes, ad probandas tales exceptiones, ante litis cõtestationem in principali causa factam admitti. In causa verò principali regulariter non admittitur testium probatio, nisi

nisi lis contestata sit, quia ante litis contestationem constitui non potest, quæ sit inter litigantes principalis controversia. Ineptus itaq; est judex, qui admitteret ejus rei probationem fieri, de cujus controversia nondum ei satis constaret. Nonnunquam tamen & principalis negotii testes recipiuntur ante litis contestationem, sed hoc fit certis solum ex causis, & ex beneficio quodam juris, ut si quis diuturnam absentiam, aut mortem metuat eorum, quibus compertum sit negotium, quod in controversiam venire possit, curare potest, ut ad æternam memoriam publico instrumento eorum testimonia describantur, vel si lis jam nata sit, ut à judice examinetur, lite nondum contestata. Ubicunq; autem id fuerit factum, necesse est ut depositiones testium consignentur, & quamprimum fieri possit, denuncientur illis, quos metuat, quis sibi futuros adversarios ea in re, nec publicentur, donec elapsus sit annus post receptionem talium testium, aut lis sit contestata, ne fraudi sit illis ignorasse, ea de re, receptos esse testes.

Dilatio ad producendum testes. Cap. 2.

EA pars cui incumbit probatio, potest petere sibi dari dilationem à judice, ad producendum testes, quã ei dare judex tenetur, adhibita competenti moderatione temporis, secundum spatia, quibus distat testium habitatio à judicis domicilio. Et dum durat tempus datæ dilationis, potest producens vel una, vel terna vice, ad judicem nomina eorum, quos producturus est testes, referre, quarta vice hoc ei conceditur, nisi juret de calumnia.

Articuli probationis. Cap. 3.

RElatis ad judicem nominibus testium, simul exhibenda sunt capita dicendi testimonii.

Testium

Testium citatio. Cap. 4.

PRoducens verò testes curet eos à judice citari, & eis certum constitui tempus deponendi suum testimonium. Suspecti enim habentur testes, qui se ultrò obtrudunt judici, ad perhibendum testimonium. Ad fidem tamen rei gestæ etiam non rogati testes sufficiunt.

Adversæ partis citatio. Cap. 5.

NOn solum autem testes, sed est pars, contra quam illi producuntur, vocanda est ad audiendum, & videndum testes produci, generali clausula citationum adjecta, quod sive venturus sit, sive non, tamen judicem processurum in causa, quantum de jure possit. Estq; simul ei facienda copia articulorum, quos ille, qui testes produxit, judici exhibuit, ut si ei libeat, interponere possit suas interrogationes.

Interrogationes. Cap. 6.

INterrogari autem potest & de personæ fide, & de negotii circumstantiis. Ad personæ fidem spectant explorandam studia, mores, voluntates, fortunæ, ætas, cognatio, totiusq; vitæ conditio. Ad negotii verò circumstantias pertinent quomodo in ejus rei notitiam testis pervenerit, an ipsi negotio interfuerit, an ab aliis acceperit, & quare factum quodq; sit, quo tempore, quo loco, qua spe, quo consilio.

Dilatio ad interrogationes concipiendas. Cap 7.

AD has autem interrogationes concipiendas, itidem potest peti dilatio à parte, contra quam testes producuntur. Non autem debet judex interrogationum copiam facere parti producenti testes, ne eos ex his ad respondendum instituat.

Pro-

Potestatio in exhibitione interrogationum. Cap. 8.

POtest quoq; pars in exhibitione interrogationum, protestari, quòd eatenus velit admittere testes productos, ut sibi salvum maneat jus reprobandi eorum personas, & dicta, per alios testes. Nisi enim quis ante publicationem testimoniorum, de reprobatione testium, protestatus fuerit, postea non auditur, nisi juret se nulla malitia, nec dolo ad protrahendam litem, ad faciendum talem reprobationem, induci, & nunc primum se id reperisse, quod testibus objecturus sit.

Juramentum testium. Cap. 9.

REquiritur autem, ut testes juramentum præstent, antequam quicquam deponatur, quia testi non jurato, quãtumvis religiosus ille fuerit, non creditur in alterius præjudicium. Iurabunt autem totam dicturos veritatem, quam norunt, de re super qua jurant, nec ullam admixturos falsitatem, quòd pro utraq; parte dicent veritatem, quam sciunt ad negotium pertinere, etiam non interrogati, & quòd nec pretio, nec amore, aut odio, nec timore, aut commodo quocunque dicent testimonium. Nihilominus partibus invicem renuentibus ut non jurent testes, creditur etiam non juratis. Iuramentum testium extendere volumus ad omnem causam, & etiam interrogatoria quæcunq; legitimæ rei, nisi specialiter super uno articulo producantur.

Diebus feriatis non juretur. Cap. 10.

TEstes diebus feriatis juramentum ne præstent, cum de processu juris sit & actus judicialis. Examinati verò testes jurati quocunq; tẽpore possunt, quia examinatio testium non est judiciali actus, sed seorsim, & secreto loco fit.

ut

ut liberiores sint testes, ad dicendum testimonium. Nam testimonium habetur pro nullo, quod palam omnibus dictum est.

Delegatio examinationis. Cap. 11.

POtest autem judex, vel ipse testes examinare, vel id munus alteri committere, verum is, qui commiserit testium examinationem, non potest porrò alii delegare, quia ejus industria videtur esse electa.

Rejectio testium quando fienda. Cap. 12.

TEstes admitti volumus ad dicendum testimonium, etiam si contra eorum personas objectū sit, nisi objecta sit eis excommunicatio, aut apponens afferat promptam suæ oppositionis probationem.

Testes per judicem cogendi sunt, si venire recusant. Cap. 13.

SI qui testes requisiti venire recusaverint, hi judicis authoritate compellendi sunt, cum non minus ferè delinquat is, qui veritatem supprimere conatur, quam qui falso deposuerit.

Qui in testimonium venire cogi non possunt. Cap. 14.

TEstes nōn temerè evocandi sunt per longum iter multoq; minus milites à suis signis vocandi sunt, perhibendi testimonii causa.

Ad nobiles & debiles eundum est, proillorum examinatione. Cap. 15.

SI testes in majori aliqua dignitate constituti fuerint, aut aliquo naturali inevitabilivè impedimento detenti, ut ad

judicium congruè & commodè venire non possunt, tunc judex aut eosdem descendat, aut examinationem illorum bono viro committat.

Officium testium. Cap. 16.

OFficium testes in hoc maxime versatur, ut de rebus sibi bene notis veritatem exponat. Prohibemus igitur, ne qui testes cujuscunq; status, conditionis, & nominis existant, judicandi officium in se assumant, neq; de criminibus aliquibus aliquid statuant, nec etiam inquirant, nisi ad mandatum illius judicis, qui cognitionem ipsius causæ in qua aliquid agere conantur, habere dinoscantur, sub pœna contemptus.

Qui à testimonio repellendi sunt. Cap. 17.

REpelli volumus à testimonio, omnes de crimine aliquo famoso condemnatos, inimicos capitales domesticos, quibus imperari potest ratione patriæ vel dominicæ potestatis, parentes etiã, & eos qui loco parentum sunt impuberes, ac mente captos, palam quæstum facientes, proxeneras, & causarum sollitatores in illis causis, quas sollicitasse noscuntur (nisi utraq; pars consentiat.) Nec non eos, qui in re sua testimonium dicere conantur, à testimonio penitus arceantur. De criminibus autem suspecti mercenarii (aliâs probi, & honesti) amici, mulieres, consanguinei, cum quibus matrimonium de jure divino non prohibetur, qui ante alteram partem testimonium dixerint, ad testimonium admitti possunt. Sed bonus judex ex fide, dignitate, moribus, gravitate constantiaq; illorum, ac rei, de qua controvertitur, mole, facilè existimare poterit, quid aut credat, aut parum per ipsos probatum opinari debeat.

Quo-

Quorundam testimonia repellanda sunt. Cap. 18.

QUi falso, vel varia testimonia dixerint, vel utriq; parti causam prodiderint, quiq; ob testimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam recipisse judicati fuerint, non solum fide omni carebunt, sed etiam à judicibus condignè punientur, & parti læsæ satisfaciant.

Qui à testimonio repellendi sunt. Cap. 19.

PArticeps criminis, minoriq; viginti annis, in criminalibus causis, testimonium reddere non debent. Nec is etiam qui ante in simili causa testimonium in eum dixisse probabitur. Procuratores, advocati, cæterique negocia alicujus gerentes ad testimonium pro dominis suis nonadmittantur.

At si adversa pars eorum testimoniis uti voluerit, veritatem, quam noverint, post depositum officium, dicere cogentur.

Testes de universitate. Cap. 20.

SInguli de universitate aliqua possunt esse testes, in causa ipsius universitatis, si non principaliter de jure ipsius testis agatur, aut de singulari suo, & non universitatis commodo, agatur.

Testes domestici quando adhiberi possunt. Cap. 21.

VSu compertum est, nonnullos sive tædio prioris conjugii affectos, sive spe secundi magis prosperi matrimonii ductos, crimen adulterii conjugibus suis impingere. Sit igitur judex in hac parte prudens, nec facilè sibi imponi permittat, nec quibuscunq; credat, qui suspicione aliqua laborent, quive dictorum suorum probabilem aliquam, & concludentem rationem non attulerint. Sed quando de natura istius actus

non solent testes adhiberi, domesticis (aliâs honestis, & fide dignis) credi potest, nisi partes accusatæ bona fama, & inculpata vita conversatioq; honesta præponderet.

Qui semel approbat personam testis, semper videtur approbare, nisi nova emerserit exceptio. Cap. 22.

QUi approbat personam testis, in uno actu, approbat eã in omni alio, nisi nova infirmandi causa supervenerit. Ideo contra personam testis, quem quis semel produxerit, non potest apponere, nisi causa de novo emerserit, contra ejus tamen dicta licebit opponere.

In aliena causa plures testes ex eadem familia adhiberi possunt. Cap. 23.

NIl obstat, quo minus plures etiam testes, ex eadem familia, alieno negotio semper possunt adhiberi.

Testis alicujus scripti propter crimen postea commissum aut patefactum rejici non debet. Cap. 24.

SI quis ex testibus, testamenti quidem, aut alterius cujusquma instrumenti, confectionis tempore (in quo ipse testis describitur) liber, aut ab omni crimine alienus communi hominũ æstimatione, & opinione habebatur, testimonium ipsius ex crimine aliquo latenti, seu ex delicto aliquo postea detecto, patefacto, seu commisso, infici non debet, nec quicquam fidei illius detrahendum est, nisi testator, per tres menses, à crimine hujusmodi patefacto supervixerit, nec alium loco illius submittendum curaverit.

Qui

Qui pœnitentiam egerunt, ad testimonii fidem restitui possunt. Cap. 25.

CAeterum cum nos semper, pro pietate nostra, in subditos nostros magis cupiamus eos semper lucrari, quam in desperationem adigere, si quis criminosus crimini suo penitus renunciaverit, ac condignam pœnitentiam ecclesiæ judicio, pro eodem peregerit, ac ad frugaliorem vitam redierit, testimonii tunc dicendi facultatem illi restituendam duximus.

Quibus testibus fides sit habenda. Cap. 26.

TEstibus juratis, & non testimoniis convenit fidem adhibere, illis tamen testibus credendum est, qui concludenter aut præsumptivè, rem, de qua agitur, approbant.

Super eisdem aut contrariis articulis non licet sæpius testes producere. Cap. 27.

QUicunq; semel, aut plures testes aliquos produxerit, ac testificata tractaverit, aut quoquo modo eadem didicecerit, non habebit ipse licentiam, vel eosdem, vel alios super eisdem, vel directo contrariis articulis, producendi.

Quando testes repeti possunt. Cap. 28.

TEstes plenè examinandi sunt, nec à suis negotiis sæpe avocandi, si tamen aut dolo judicis, aut negligentia, debito modo examinati non sunt, id parti rectè libellanti, seu articulos proponenti nocere non debet, quin eidem testes repeti possunt. Cæterum si partis culpa, aut negligentia, defectus aliquis in testium dictis deprehendatur, illi nusquam succurretur, nec ipsis testes postea repetiti, sive ex officio, sive ad ejus instantiam aliquid sibi prodesse poterunt.

Pœna testium pejurantium. Cap. 29.

SI quis posthac adeò officii sui immemor fuerit, ut aliqua affectione ductus falsa, aut multa varia reddidisse deprehendatur testimonia, is extraordinariè, pro arbitrio judicis, quem in hac parte offenderit, punietur. Volumusq; omnes ministros nostros, in executiõe pœnarum, hujusmodi falsis testibus inflictarum, sive infligendarum, ad requisitionem dictorum judicum, promptos ac paratos semper esse, sub pœna contemptus.

Quando testis rationem sui dicti reddere teneatur. Cap. 30.

TEstis in actis omnibus, sensu corporeo perceptibus, debet reddere rationem dicti sui, per illum sensum, ita demum si fuerit interrogatus. At in rebus sensibus hujusmodi nõ subjectis, debet rationẽ reddere non interrogatus.

De testibus extra judicialibus. Cap. 31.

DIctum testis judiciale non tollitur, per dictum suum extra judiciale contrarium, sed nisi aliquam justum rationẽ, quòd tam varia aut repugnantia protulerit testimonia, reddere idem testis poterit, multum fidei illius detrahetur.

Testibus expensæ sunt solvendæ. Cap. 32.

QVotiescunq; testes a suis negotiis, pro ferendo testimonio, avocantur, id fieri volumus expensis partis eos producentis, qui expensas illorum, tempore accepti itineris donec iterum ad habitationes suas reversi fuerint, sustinebit.

Reprobatorii testes non sunt per alios reprobandi. Cap. 33.

REprobatorii reprobatoriorũ testiũ admittendi nõ sunt, ne si producendi quartos, contra tertios, & sic deinceps licentia

licentia tribueretur, negotium longius quàm par est, protelari contingeret.

Dicta testium interpretanda sunt, secundum loquendi consuetudinem. Cap. 34.

TEstium dicta non cavillanda, sed potius benignè interpretanda sunt, maximè verò secundum communem usum, ac ipsius testis loquendi consuetudinem.

Quando dictum unius testis suppletur per dictum alterius. Cap. 35.

DIctum quoque unius testis suppletur, per dictum alterius testis, plenius deponentis, interpretationemque à pleniori illo dicto meritò recipiet, si modo constet, quòd de uno, & eodem facto deponere conentur.

Testis inconstantia. Cap. 36.

TEstes, qui adversus fidem testationis suæ, vacillant, audiendi non sunt.

Pars intentionem suam obscuram interpretari potest. Cap. 37.

SI testes clarè de re aliqua testificantur, quæ obscurè forsitan à parte proponebatur, potest tamen pars suam intentionem interpretari, ut dicta testium illi prosint.

Testes pro utrâq; parte deponere debent, si requiratur. Cap. 38.

TEstes pro utraque parte deponere debent, si requirantur, vel à judice, vel à parte non producente, licet à parte principaliter producente expensas recipiunt.

Examinatio testium. Cap. 39.

Notarii opera, & non industria, in examinatione testium videtur electa, idcò ad mandatũ judicis debent scribere dicta testiũ, etiã extensivè, prout unusquisq; loquutus fuerit cum

cum in verbis omissis plus aliquando efficaciæ reperitur, quàm in iis, quæ à notariis quibusdam describuntur.

Testes singulares. Cap. 40.

TEstes singulares nihil probant, adeo ut veteres non permittebant juramentum, etiam in defectu probationis, tales testes producenti, deferre, nisi hujusmodi singularitas tendat ad unum, & eundem finem quod & non approbamus.

Variatio testium. Cap. 41.

SI qui tamen testes deponant, de aliqua summa debita, aliqui de majori, aliqui rursus de minori, ac in una aliqua summa, numerus sufficiens concordat, potest illis judex fidem adibere, si nihil aliud est, quod illorum fidei detrahat.

Testimonia de scire & credere. Cap. 42.

LIcet testes sæpe adeò rudes sunt, & ignari, ut nihil distinguant inter verba veritatis assertiva (ut scio) ac illa, quæ nihil necessario ponunt (ut credo videtur, & recordatur) tamen nolumus fidem hujusmodi testibus adhiberi, si ipsi de natura horum verborum, à judicibus nostris admoniti, (quod semper fieri volumus) congrua non reddiderint testimonia. In casibus tamen illis, in quibus veteres leges fidem hujusmodi testimoniis adhiberi voluerunt, idem observandum duximus.

De testibus examinatis coram arbitris. Cap. 43.

TEstibus examinatis coram arbitris, non tenetur quis stare, coram judice, si vivunt, sed potest petere eos iterum examinari, si velit. Sed si sunt mortui, non requiritur ulterior examinatio, sed standum erit eis, sicut si coram judice fuissent recepti, salvo tamen jure objiciendi contra personas & dicta.

Quo-

Quomodo judex de multis testibus judicabit. Cap. 44.

SI testes omnes ejusdem honestatis, & existimatiõis sunt, & negotii qualitas, ac judicis etiam motus, cum iis concurrat, sequenda sunt omnia testimonia. Se verò ex his quidam illorum aliud dixerint, licet impari numero, credendũ est, quòd naturæ negotii convenit, & quod inimicitiæ aut gratiæ suspitione careat, confirmabitq; judex motum animi sui ex argumentis, & testimoniis, quæ & rei aptiora, & vero proximiora esse compererit, neq; enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potius lux veritatis affiscit.

Variatio testium quando non nocet. Cap. 45.

SI testes in circumstantiis non necessariis (ad quas simplices homines non solent magnopere respicere) varii aliquando inveniuntur, in rei tamen, de qua agitur, substantia, conveniant, plena fides illis adhibenda est. Neq; enim omnis varietas reprobata est, sed ea tantum, quæ contrarietatẽ quandam, & incompassibilitatem in se contineat, nihilq; nocet narrandi diversitas, cum eadem dicuntur.

Præferendi sunt testes qui absolvunt, his qui condemnant. Cap. 46.

CUm ad absolvendum potius quàm ad condemnandum promptiora sũt jura nostra, volumus, quòd si testes aliqui faciant pro bona fama, seu innocentia alicujus, ac rursus alii pro mala fama, seu noxa, quòd præferantur hi qui pro innocentia fecerint, modo aliàs ipsi testes inter se æquales fuerint.

De numero testium. Cap. 47.

QUanquam quibusdam legibus amplissimis numerus testium definitus sit, tamen hanc licentiam ad sufficientem numerum coarctamus, ut judices tamen moderentur, & cum solum numerum, quē necessarium esse putaverint, evocari patiantur, ne effrenata potestate ad vexādos homines superflua testium multitudo protrahatur. At ubi numerus testium non requiritur, duo testes probabunt.

Judex testibus jubere potest silentium, & mutare articulorum ordinem in examinatione. Cap. 48.

IUdicis est cuncta rimari, & varietatem plena inquisitione discutere, ideò ei permittimus ut jungat testibus, juramenti religione, ne dicta sua contestibus, aut aliis quibuslvis propalent, ac ut testes (non observato ordine articulorum) super omnibus examinare possit, prout ei videbitur.

In animæ periculo juramentum exigi potest. Cap. 49.

SI acta nihil probaverint, judex juramentum exigere potest à parte principali, ubicunq; animæ periculum vertitur.

Testimoniorum copia partibus non est neganda. Cap. 50.

IUdex post testium publicationem, testimoniorum copiam facet partibus petentibus, ipso retinente originale. Et judicis est illis constituere terminum, intra quem publicata testimonia evertant, aut teneantur, cum hac interminatione

one, quòd si istud facere neglexerint, deinceps non sit admissurus, ut id faciat.

Testimoniorum publicatio. Cap. 51.

EXaminatis testibus, ea pars cui maximè interest testimonia esse nota, petere potest à judice, ut ea publicentur. Id vero ut rite fiat, necesse est partes citari ad audiendū testimonia publicari. Ita vero fiet publicatio, si aut ipse judex, aut publicus notarius præsentibus partibus palam testimonia recitat, aut coram exhibeat chartam, in qua ea discripta sunt, & clara voce testetur in ea contineri depositiones testium productorum fideliter annotatas, quas sua exhibitione publicatas velit. Postea judex partibus constituet terminum, intra quem, accepturi sunt exempla testimoniorum, & alium terminum, intra quem disputaturi sint, si velint.

Testium productio post testimoniorum publicationem. Cap. 52.

QUamvis partibus non regulariter permittatur, ut post testimoniorum publicationem, denuò alios testes producant. Iudex tamen ratione sui officii, non solū potest post testimoniorum receptionem, sed & postquam in causa concluſum est, teste examinatos potest denuò interrogare de re, quem sua depositione non satis declarasse videtur, si ejus notitia necessaria, aut vtilis appareat ad causæ cognitionem. Et si judex ex scripto hoc non faciat, possunt partes petere à judice, ut id fiat.

Quando admittitur probatio post testium publicationem. Cap. 53.

RUrsus si post testium publicationem, quisquā probare aliquid voluerit, quod in prioribus suis articulis, quo-

ad necessitatem facti & probationis, inesse dinoscatur, id ei nullatenus permittatur. Sed si quod inopinatum, & de quo quis facile cogitare non poterat, a diversa parte probatum fuerit, quod causæ alterius magnopere noceat, non incongruum esse putamus, id à parte læsa (si potest) reprobatum iri publicatione testium non obstante. In causis etiam matrimonialibus, favore animarum olim constitutum erat, ut testium publicatio, aliorum testium productioni non obstaret, quòd nos moderantes ita temperamus, ut publicatio in his causis non noceat. Si teste illi post publicationem producendi omni exceptione majores fuerint, ac tales, qui omni careant suspicione, ac quibus meritò credendum est, alioqui judex eos vel non admittat, vel fidem, quam voluerit, illis adhibere poterit.

Neque testes, neq; dicta testium refelli possunt, post primam assignationem ad audiendum sententiam. Cap. 54.

SI quid in dictis testium à veritate alienum deprehenditur, aut persona illius reprobari aliquando possit, id usq; ad primam assignationem ad audiendum sententiam proponi permittimus, sive quis protestatus fuerit contra eos, sive non est protestatus.

Officium judicis in examinandis testibus. Cap. 55.

PErtinet autem peculiariter ad officium judicis, diligenter testes examinare de singulis negotii circumstantiis, ut quod per partes, vel earum advocatos omissum fortè sit, in articulis, & interrogatoriis cupiendis, illud ipse suppleat.

De consuetudine.

Consuetudo quid sit. Cap. 1.

CONsuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex, seu jus quoddam moribus, seu usibus populi totius, vel majoris partis, ratione initiatum, continuatum, & constitutum, legis habens authoritatem. Ex non scripto enim jus venit, quod usus approbavit. Nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur.

Consuetudo non valet contra rationem, aut legem. Cap. 2.

QUamvis consuetudinis, usq; longævi non sit utilis authoritas, veruntamen non est usq; adeo valitura, ut aut rationem vincat, aut legem, seu juri positivo præjudicium generare debeat.

Consuetudo non valet contra jus divinum, aut naturale. Cap. 3.

CUm peccata tantò sint graviora, quantò diutius infœlicem animam detinẽt alligatam, nemo sanæ mentis intelligit juri divino aut naturali (cujus transgressio periculum salutis inducit) quamcunq; consuetudine (quæ dicenda est verius in hac parte corruptela) possit aliquatenus derogari. Quælibet enim consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata veritati omnino postponenda, & usus, qui veritati est contrarius, est abolendus.

Statuta & consuetudines ecclesiæ cathedralis non sunt mutandæ, sine Episcopi & capituli consensu. Cap. 4.

QUia novitates sæpenumero partiunt discordiã non immerito statuendũ videtur, ne quis episcopus absq; cõsensu capituli, statuta, aut cõsuetudines ecclesiæ cathedralis

immutare, aut novas facere possit. Itidem nec capitulum, sine Episcopo. Quòd si aliter facta fuerint, decernantur irrita, nisi statuta, & consuetudines hujusmodi priores verbo Dei, aut Ecclesiæ edificationi repugnent.

De Præscriptionibus.

Præscriptio quid sit. Cap. 1.

PRæscriptio est jus quoddam, ex tempore congruens, authoritate legum vim capiens, pœnam negligentibus inferens, & finem litibus imponens. Quod non in totum à naturali jure recedit, nec per omnia ei servit. Quemadmodum enim natura æquum est, neminem debere locupletari cum alterius jactura: ita naturali rationi congruum est, & negligentibus pœnam inferri, & finem litibus imponi.

Præscriptio decimarum in aliena parochia. Cap. 2.

SI una Ecclesia decimas in alterius parochia, quadraginta annos possederit, volumus de jure meliorem conditionem fieri possidentis: quia quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludat.

Malæ fidei possessor præscribere non potest. Cap. 3.

NUlla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem, nisi resipuerit, postquam si aliena noverit possidere, cum bonæ fidei possessor dici non potest. Derogandum enim erit omni constitutioni, atqi consuetudini quæ absq; mortali peccato non potest observari. Oportet igitur eum, qui præscribit, ut in nulla temporis

parte,

parte, rei habeat conscientiam alienæ, sitq; in bona fide constitutus, sine qua nulla valet præscriptio Ecclesiastica.

Interruptio tollit præscriptionem. Cap. 4.

SI de præscriptione, & interruptione, mota fuerit quæstio cum receptis testibus, seu probationibus (quæ recipi debent ab utraq; parte) probata fuerit interruptio, præscriptio non tenebit.

Contra visitantes nemo præscribere potest. Cap. 5.

QUia secundum Apostolum, qui spiritualia seminat, non est magnum, si metat carnalia (cum nemo suis stipendiis, militare cogatur) statuimus, ne subditus contra superiorem visitationem, aut procurationem ratione visitationis debitam, in seipso præscribere possit. Allegantes igitur se non meminisse procurationem solvisse, aut petitam fuisse, audiendos non fore decernimus. Sed negantes pœna condigna afficiendos, nec non ad condignam satisfactionem compellendos, quacunq; præscriptione temporis non obstante, statuimus.

Præscriptio Ecclesiarum vel decimarum in aliena diœcesi. Cap. 6.

EPiscopum qui ecclesias, & decimas in aliena diœcesi se legitimè præscripsisse proponit, oportet hujusmodi præscriptionis titu'ũ allegare, & cum jus commune contra ipsum faciat) probare. Nam licet ei, qui rem præscribit ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus cõmune, vel contra eum præsumptio non habetur, sufficiat bona fides. Ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur præsũptio contra ipsum, bonafides, non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat, præscribendi, nisi tantitem

ti temporis allegetur præscriptio, cujus contraria memoria non exiſtit.

Præscriptio vel interrumpi potest, vel cessare, vel impediri. Cap. 7.

PRæscriptio aliquando ceſſat, aliquando interrumpitur, ſed non idem æſtimandum, quando ceſſat, & quando rũpitur. Ceſſare præſcriptio dicitur, quando propter aliquod privilegiũ perſonæ cujus res eſt, aut conditionẽ ipſius rei, non habet locum præſcriptio. Similis huic ceſſationi videri poteſt impeditio, quando præſcriptio quaſi interſiſtit, ut cũ propter publicum aliquem motum judicia exercere, & jus ſuum requirere non licet, ut in tempore belli, vel quando in loco jus non redditur, & defectu judicis, vel reip. atq; tempore peſtis. In quibus caſibus & ſimilibus, præſcriptio non prorſus intermoritur, ſed vi quadam impedita interquieſcit, & præſertim cum actoris proteſtatio intercedit. Interrumpi verò naturaliter præſcriptio dicitur, cum cœpta retrahitur, ne progredi poſſit. Id verò fit, cum poſſeſſio nobis non legitima, quam vocant compulſiva, ſed violenta eripitur. Et ratio eſt, quia ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit. Eſt autem in naturali interruptione hoc regulare, quòd ea prodeſt omnibus, qui habent jus in re. Rumpitur etiã præſcriptio, quando is, cujus res eſt, illam conteſtata lite, in judicio repetit, quamvis litem non perficiat. Item per alluvionem maris, aut fluminis, per ſolutionem penſionis, aut partis debiti, per ſecundam cautionem à debitore factam. Impeditur ad hæc præſcriptio, ne currat, quando is, cujus res eſt, illam non poteſt repetere ut ſunt impuberes, quiq; adhuc ſub aliena poteſtate continentur, & furioſi, quibus etiam adnumeres excommunicatos: Nam dum ita ſunt, non audiuntur ſua repetentes. Præ-

ſcriptioni

scriptioni conjunctæ cum bona fide, nemo per suum pactum potest renunciare, cum præscriptio sit propter bonum publicum inventa, ne scilicet dominia rerum sint incerta, & jus publicum pacto privatorum non remittatur. Ad præscribendum in rebus corporalibus, ut est servitus prædii, judrisdictio, & consimilia, non requiritur possessio, sed scientia, & patientia adversarii. Interrumpitur quoque præscriptio, ne currat protestatione coram judice, vel si ejus copia non fiat coram notario, & testibus, quo protestationis genere principes inter se utuntur, ad impediendam præscriptionem, cum sese non possint convenire sub judice, qui sit utrique parti communis.

Quiete dicitur quis possidere, quando non vocatur in judicio, syncere autem quando cum bona fide: bona autem fides in dubio præsumitur, & quando non habetur notitia rei alienæ. Mala verò probatur variis modis, primò per confessionem propriã possidentis: Secundò per famam, quæ erat in vicinia. Tertio per denunciationem factam tempore cõtractus. Deniq; per incidentes conjecturas, & si contra jus fuit acquisita, & non observata juris solennitate. Præscriptio contra bona Ecclesiæ, vel pia legata, non currit minor quadragenaria, post quam elapsam, potest ecclesia in integrum restitui. si tamen restitutio intra quadrennium petita fuerit. Nam post hoc tempus non audietur. Mala fides præscriptionem impedit, priusquã terminus ejus elabatur. Ac cum perfecta fuerit præscriptio, bonam habens fidem conjunctam, si postea res præscripta noscatur fuisse aliena, minime cogitur, qui præscripsit eam, restituere. Nam quando novit alterius eam fuisse, jam non alienam, sed suã cæperat possidere. Nam leges & jura ei addixerunt. Qui alieno nomine possidet, non præscribit usu capionis, triũ annorum spatium assignatur: præscriptionis autem, quoad præ-

sentes decem, quoad absentes viginti, longior est triginta, longissima verò 40, annorum, utq; usucapio ad res mobiles pertinet, ita præscriptio ad immobiles.

DE VIOLENTA PERCUSSIONE CLERICORUM.

Vis contra clericum quibus pœnis afficiatur. Cap. 1.

QUicunq; manus violentas in clericum sciens injecerit, nisi voluerit arbitratu judicum Ecclesiasticorum ei satisfacere, pœnitentiamq; subire tam atroci scelere dignam, in excommunicationem ruet. A qua nullo modo patimur illum sublevari, donec pœnitentia plenè sit perfunctus, ordinarii sui arbitratu indicenda.

Quæ sunt exceptiones in hac causa. Cap. 2.

QUoniam omnis honesta ratio relinqui debet, expediendæ salutis si quis se legitimè defendens, aut justitiæ serviens, ad vim contra clericum progressus sit, si coram Ordinario suo patefecerit vim, his causis profectam esse, quas posuimus, omnino illum liberari volumus, & sine pœna dimitti. Esto quoq; par clericorum pœna, si violentas manus in laicos homines injecerint.

De Præsumptionibus.

Præsumptio quid sit. Cap. 1.

PRæsumptio est alicujus rei, ex variis circumstantiis collecta conjectura.

Præsumptio temeraria & probabilis. Cap. 2.

TEmeraria præsumptio ex mera suspicione proficiscitur, & nulli vestigio rei gestæ incumbit. Probabilis verò

rei

rei vestigiis inhæret, licet per seipsam, non tollit dubitationem, sed tantum credulitatem inducat.

Probabilis præsumptio, vel unius testis assertione, aut aliqua semiplena probatione adjuta, plenam fidem facit. Temeraria verò prorsus est rejicienda.

Præsumptio violenta. Cap. 3.

VIolenta præsumptio est, quæ judicijs adeò apertis initiatur, ut id quod esse contenditur, inde quodammodo necessariò sequi videatur. Iudex non ad unam speciem probationis animum suum coarctabit. Et ideo in causis, quæ de sua natura directè probari nequeunt, præsumptionibus ferendã sententiam, adduci poterit. Ex violenta præsumptione judicem posse ferre sententiã exemplo regis Salomonis docemur, qui causam inter duas mulieres audiens atq; naturali unius amore, alteriusq; odio erga infantem, veram matrem discernẽs, eundem mulieri, quæ divisionem abhorrebat, adjudicavit. Curet attamen judex, ut violenta præsumptio qua motus est ad ferendam sententiam, scripta extet in actis, quò appareat sententiæ latæ fundamentum.

Probatio carnalis copulæ per præsumptiones. Cap. 4.

VIolenta præsumptione probari carnalem commistionem nullus dubitet, veluti si masculus & fœmina, solus cum sola, nudus cum nuda, in eodem lecto jacentes deprehensi fuerint. In probanda commixtione maris, & fœminæ, sufficiat probatio actuum propinquorum ad eam, dum tamen testium accedat credulitas. Uxor cui maritus non abre denunciabit, ne cum eo, quem suspectum habuerit, colloqueretur, secretovè consortio uteretur, si mariti denunciationem spernat, adultera censeatur.

Quis sit habendus pro patre. Cap. 5.

EIus filius esse præsumitur, in cujus domo, & cujus ex uxore quis nascitur, licet uxor forsitã tẽpore conceptionis

cum alio concuberit, nisi mariti diuturna ablentia adversavè valetudo, aut alia justa causa, aliud suadeat.

Præsumptio mali animi. Cap. 6.

IS qui contra legum interdicta, quicquam molitur, malam fidem semper habere præsumitur. Deprehensi in delicto semper præsumitur malus animus. Itaque qui cum nocuisse alicui joco se id feciisse dicit, tanquam obnoxius tenetur, nisi suam probet innocentiam.

Præsumptio boni animi. Cap. 7.

PEr exteriora, quæ intus sunt præsumatur. Quemcunq; igitur studere virtutibus, præsertim simplicitati, & modestiæ videris, hujus bonum & rectum esse animum intelligas. Ex transacta cujuslibet vita dignoscere possumus, quid de subsequenti ejus conversatione præsumamus. Quia præteritorum consideratiõ nos instruit de futuris.

Qui ad objecta crimina tacet suspectus est. Cap. 8.

SI quis ad crimina, quæ sibi fuerint objecta, vel proposita in judicio ad respondendum, taceat, præsumptionem haud levem præbet defensionem se non habere.

Qui subterfugia quærit, malam causam habere præsumitur. Cap. 9.

QUisquis dilationibus judicium subterfugere conatur, is malum causam semper fovere præsumatur.

Quando ignorantia non est præsumenda. Cap. 10.

EA quæ publicè aguntur, & quæ quis indagare debet, nemo ignorare censetur.

Latere

Latere non potest vicinos, quod ad nos in longinquo pervenit, vicinis enim, cum res præsumantur, notiores esse, quam remotis, illis cum primis creditur.

De fama. Cap. 11.

COmmunis & pervulgata fama de aliquo gravem inducit præsumptionem.

Præsumptio continentiæ. Cap. 12.

NOn præsumitur incontinens in senili ætate, qui in juventute continuit: atque id maxime si divinarum literarum studiis incumbit, & eo genere doctrinæ apprimè fuerit ornatus.

Presumptio ex habitu. Cap. 13.

Talis quisque præsumitur in quali habitu reperitur.

Præsumitur neminem velle prodere sua. Cap. 14.

PRæsumitur neminem esse, qui sua bona velit aut prodigere, aut perdere.

Præsumitur non mutari voluntatem, nisi probetur. Cap. 15.

QUilibet præsumitur manere in eadem voluntate, qua semel fuisse constat. Proinde qui mutatam asserit voluntatem, probare debet.

Iudicis sententia præsumitur bona. Cap. 16.

PRopter religionem judicantis, semper pro ejus sententia est præsumendum, nisi per appellationem fuerit suspensa.

Præsumitur proscripto. Cap. 17.

PRæsumitur pro scriptura, nisi aliud actum, aliudvè scriptum esse probetur.

Præsumptio juris & de jure. Cap. 18.

PRæsumptio non est tanti momenti, quin contraria probatione elidatur, nisi sit præsumptio juris, & de jure, quam sola ejus confessione, de cujus commodo agitur, tolli posse putamus.

Pares præsumptiones se mutuò conficiunt. Cap. 19.

DUæ præsumptiones paris potentiæ invicem se collidunt, & major minorem vincit, prorsusq; enervat.

Præsumptio infirmitatis tollitur per actum. Cap. 20.

PRæsumptionem infirmitatis tolli per exercitium actus non compassibilis cum infirmitate, manifesti juris est.

Iudex ex circumstantiis judicabit. Cap. 21.

SI probationes rei, & actoris, tantum præsumptivè concludant, judicis est, ex diligenti circumstantiarum consideratione judicare. Ut cum vir se sponsam suam cognovisse affirmat, illa verò illud negat, matronæq; aliquæ, quæ corpus inspiciebant cum illa consentiant, judex considerata oportunitate cognoscendi, mora, & diutina conversatione, & ætate utriusque, & matronarum fide, & peritia, quid sequendum sit judicabit.

De Diffamationibus.

Obirectatores legibus esse puniendos. Cap. 1.

QUoniam omnes Christiani mutua charitate veros se debent Christi discipulos esse ostendere, coercenda quorundam improborum malevolentia est, qui fratres odio tam capitali prosequuntur, ut illos falsis criminibus calum-

lumnioſe velint opprimere. Quo fit ut legum fræna illorum licentiæ ſentiamus injicienda, quorũ mentes Chriſtiana charitas, quæ prorſus illis abeſt, mollire non poteſt, & quos ipsũ per ſe non movet officiũ, illos juris acerbitate denũciemus.

Obtrectatores quando & quomodo puniantur. Cap. 2.

PRimum igitur hoc conſtitutum ſit, ut quicunq; malitioſa voluntate, ac dolo malo famam cujuſquam crimine conficto, ac ementito violaverint, aut ullo modo ut violaretur effecerint, aut ſermone contumelioſo contra quenquam utuntur, aut libellum famoſum vel ipſi componunt, aut ſcribunt, vel ab aliis compoſitum, aut ſcriptum cũ invenerint, non continuo rumpunt, aut ignibus cremant, ſed divulgant aut in lucem proferunt, aut proferendum curant, primum quidem ab eo cui hæc facta eſt injuria (ſi modo velit injuriam proſequi) deducantur ad Eccleſiæ paſtorem, & ſeniores, qui talium obtrectatorum importunitatem vehementiq; ſermone perterrefaciant. In quorum authoritate ſi acquieſcere velint, & hominis exiſtimationem quam ante calumniis oppugnaverant, recolligere parati ſint, quantum in ſe eſt, & recuperare, in eo ipſo cauſa terminetur: Nec ille, qui calumniis fuerit appetitus, ullam ſuis obtrectatoribus exhibebit aliam moleſtiam, nec illos ad judices Ordinarios trahet. Nam præcipua ſemper ratio ſalutis animarum eſſe debet, & ſumptus non neceſſarii, quantum licet, ſunt amputandi. Verum hujuſmodi calumniatores, & obtrectatores, ſi nolunt ſalutaribus paſtorum, & ſeniorum præceptis inflecti, tum demum ad ipſos judices Eccleſiaſticos illorum nomina deferantur; apud quos (cum manifeſtis probationibus, de calumniis illorum, & obtrectationibus plenè conſtiterit) damnentur ſententia judicum ad illas pecuniarum ſummas in ciſtas pauperum infundendas, quæ ſuarum Eccleſiarum propriæ ſunt, quas

quas illorũ opes commodè videbuntur ferre posse, & etiã excõmunicationis pœna plectantur, à qua nullo modo volumus illos liberari, donec arbitratu judicis ecclesiastici satisfactum est illi, cui injuria facta est, & etiam ea perfuncti sint pœnitentia, quæ tanto crimini convenire videbitur.

Qui probant crimen objectum, non puniantur. Cap. 3.

QUoniam reipublicæ vehementer interest, ut crimina suppliciis coerceantur, & sua cuiq; justa defensio reservetur, constituimus, ut si quis aliquem reum fecerit accusatione, denunciatione, vel exceptione, vel alia quacunq; ratione legitima, & solenni, judicique criminis objecti fidem fecerit, illum (quoniam non calumniam, sed veritatem se quæsierit) omnium legis istius pœna liberari debere. Si verò, qui accusaverit, fuerit causa dejectus, pœnis legis teneatur, nisi possit ostendere, quòd non propositio male dicendi, nec calumniandi voluntate, sed aliqua justa ratione fuerit ad hoc institutum adductus.

De dilationibus.

Dilatio quid sit. Cap. 1.

DIlatio est agendi facultas, infra tempus, vel à legibus, vel ex conventione partium præscriptum.

Dilationum species. Cap. 2.

DIlationum alia est legalis, quæ à legibus definitur. Ad appellandum enim, & petendum restitutionem in integrum, & similia tempus à legibus præscribitur. Iudicialis quæ datur arbitrio judicis. Conventionalis, quæ terminum habet

habet ex conventione partium. Ex dilationibus judicialibus citatoria datur à judice, ad comparendum. Deliberatoria ob lato libello datur ad deliberandum de his, quæ petuntur, vel de cedendo, vel de lite suspicienda. Recusatoria terminum concedit, ad proponendas exceptiones omnes, & ad declinandum, seu differendum judicium. Probatoria datur ad probandum, & allegandum in causa. Definitoria datur ad negotium definiendum. Iudicatoria datur condemnatis ad patiendum, vel solvendum judicata. Appellatoria datur ad appellandum.

Dilationes quantum fieri potest, amputandæ sunt. Cap. 3.

MAterias dilationum ubiq; amputare volumus, & hac ratione judicibus non concedimus dandæ dilationis, quoties voluerint, facultatem, sed quatenus rerum urgentissima ratio, & necessitas desideratæ instructionis exegerit. Idcirco non nisi justa de causa petenti, bonaq; fide imploranti dilatio concedi debet. Proinde si morandæ solutionis gratia, à debitore falsi crimen objicitur, nihilominus, salva executione criminis, debitorem ad solutionē compelli volumus. Et idem in consimilibus faciendum existimamus.

Certa dilationum spatia. Cap. 4.

QUamvis jure antiquo receptum sit, ut quælibet citatio spatium decem dierum concedat, & dentur ad deliberandum viginti dies, protestibus, & instrumentis producendis, quando fuerint in provincia tres menses: quando in locis provinciæ contiguis, sex. Quando in transmarinis regionibus, novem. Actori verò contumaci triginta dies, Istas nihilominus dilationes judicum arbitrio (ratione habita personarum, locorum & causarum) magis minusve cōtrahi volumus. Prorogari verò nullo modo. Cumq; judex

eas multum contraxerit, causas exprimat, quæ in actis inserantur ut appellandi materia præcidatur. Appellatoria tamen dilatio judicis arbitrio non mutabitur. Semper enim erit quindecim dierum, qui neque contrahentur, neque ampliabuntur.

Dilationes quæ ad causæ cognitionem pertinent, judice sedente, & parte adversa præsente, fiant. Cap. 5.

Dilationes citatoriæ, atque deliberatoriæ, licet à judice non sedente, sed ambulante in loco judicii, concedi possint. Attamen quæ causæ cognitionem requirunt à judice sedente dari volumus, & dum adversaria pars adest, ut si reclamet, & de dilationibus hujusmodi quæstio emergat, sententia judicis lis dirimatur.

Si judex tempore probationum præscriptio jus non dicat, pars ad tempus amissum restituetur. Cap. 6.

Si tamen non stat per partem, quò minus facere possit suas probationes in dilatione ei data, sed stat per judicem, quia non reddit jus in illo die, tunc non est danda nova dilatio. Sed volumus partem eandem restitui ad tempus amissum.

Terminus dilationis utriq; parti communis sit. Cap. 7.

Vbicunque à judice data erit dilatio, statuimus, ut idem terminus sit communis utrique parti. Ita ut utraque possit in illo probare. Sed si is, cui data est dilatio, re integra, renunciaverit dilationi, adversarium ratione ejusdem dilationis posse probare volumus.

Dilatio

Dilatio certum tempus præscri ere habet. Cap. 8.

VOlumus dilationem à judice partibus datam, certam esse, vel per numerationem dierum, vel ad certum tempus.

Data dilatione cessat judicis officium, dum durat dilatio. Cap. 9.

DAta dilatione, judicis officium conquiescere decernimus, donec petiti temporis defluxerint curricula, feriis illi tempori non excludendis, sed connumerandis.

Qui prodiderit acta, ad aliam probationem non admittetur. Cap. 10.

SI quis probaverit intentionem suam per testes, vel per aliud simile, & postea prodiderit acta, etiam si casum possit probare, nullum esse ei amplius dandam dilationem volumus.

Libellus si in citatione inseratur, excludit dilationem ad deliberandum. Cap. 11.

CUm in citando, exemplum libelli reo transmittitur, vocaturq; ad respondendum, deliberatoriæ dilationes ei non dabuntur, modò citatio æquum, & decentem contineat terminum, alioqui dilationes ad deliberandum habebit.

In causæ initio non dabitur actori tempus, ad deliberandum. Cap. 12.

DEliberatoriæ dilationes ab initio causæ actori non conceduntur. (existimatur enim venire instructus) Attamen, si reus excipiat, vel illum reconveniat, dilationem aliquam ad deliberandum jure habebit.

Mutatio libelli non ſemper rquirit novam dilationem, ad reſpondendum. Cap. 13.

SI libellus mutatur in eo quòd non alterat primam petitionem, quo minus de ea certus eſſe poſſit reus, non erunt novæ dilationes deliberatoriæ concedendæ. Nam cum plenè quis potuit inſtrui per primum libellum, licet aliquid addatur, quod non mutat naturam negotii, novæ non erunt impartiendæ dilationes.

Prorogatio dilationis. Cap. 14.

PLures dilationes quàm leges noſtræ permittunt, nolumus alicui dari, tamen decernimus eas poſſe prorogari ex cauſa, & illæ non erunt novæ dilationes, ſed priores prorogatæ. Prorogatio enim debet fieri antequàm primum tempus dilationis ſit finitum, tempore autem toto finito, nolumus tunc poſſe habere locum prorogationem, ſed erit nova dilatio.

Secunda dilatio ex cauſa dari poteſt. Cap. 15.

SEcundam dilationem ex cauſa dandam eſſe ſtatuimus, & hoc ſolummodo reſpectu temporis, in quo impeditus fuit aliquis, & reſpectu ejus rei, in qua fuit impeditus. Et ideò ſi aliquis impeditus fuerit, producere unum teſtem, & procuravit quantum potuit, in prima dilatione eundem producere, dabitur nova dilatio ad producendum illum teſtem, & non alios, quos non procuravit in prima dilatione producendos.

Dilatio poteſt quando revocari. Cap. 16.

Dilatio, quæ de partium conſenſu data eſt, altera parte invita, non debet ſine cauſa revocari, ſed quando judex ex officio

officio suo dilationem præfixit, si causa tollatur, quæ illum movit, cum potest revocare.

Dilatio data reo ad jurandum intelligenda est dari actori ad probandum. Cap. 17.

DEcernimus dilationem datam reo ad jurandum, etiam intelligi debere datam actori, ad probandum per testes, vel instrumenta.

Dilatio quando reus opponit exceptiones. Cap. 18.

VTriq; parti dilationem dari debere de juribus suis decernimus, quando reus opponit exceptiones.

Dilatio ad consulendum. Cap. 19.

POtest à principio dilatio peti ad illos cõsulendos, quorum consilium arduitas causæ requirit. Et quos aliqua ex parte negotium tangit, ut ab eis, is qui citatus est, informetur. Si pendente causa, super quopiam emergente, positiones offerantur dandæ sunt inducię procuratori, ut dominum suum consulere possit, si tale sit emergens, ut probabiliter nihil ab intitio de hoc scire potuerit, dominus constituens. Nam si ab initio prævideri potuisset, & à causa principali perspicuam dependentiam haberet, tempus ei ut dominum suum consulat, non dabitur. Est enim quòd dominus sibi imputet, quare ab initio, ut debuit, procuratorem suum plenè non instruxerit.

Citatio peremptoria. Cap. 20.

CItationi peremptoriæ nimis brevis terminus non assignatur, nisi maxima necessitas id suggerat. Alioqui parti sic vocatæ licebit appellare.

Propter injustas dilationes licet appellare. Cap. 21.

SI judex absque causa, & injustè, dilationes vel contrahat, vel ampliet, ab eo licet appellare.

Citatio terna. Cap. 22.

CItatoriæ dilationes aut sunto tres, aut una esto peremptoriè inscripta, sed quæ spatium temporis id concedat, quod tribus æquari, & congruere possit.

Præter citatoriam primam & secundam dilationem, aliæ sunto peremptoriæ, licet fortasse non sic inscribantur. Cap. 23.

Absens reipublicæ causa à judicio excusabitur.

ABsens reipub. causa tantisper à terminis in judicio sibi præfixis excusatur, quamdiu causa absentiæ durat.

De remoto ab administratione. Cap. 24.

DE lapidatione suspectus, & ob id ab administratione remotus quanvis nondum sit restitutus, in judicio respõdere cogitur, neq; restituetur, nisi causa cognita absolvatur.

Quando idem terminus duobus actis præscribi potest. Cap. 25.

LIcebit eundem terminũ duobus actibus præfigere, quãdo simul, & in idem tempus possunt concurrere, ut ad producendum testes probatorios, & ad producendũ reprobatorios. Nihil enim vetat judicem testes admittere simul, super principali, & reprobatorios. At si actus ordine successivo sint explicandi, eundem terminum communem habere non poterunt. Iudici licet dilationem dando, vel adhuc pendente, quæ jam data est, terminum ad alium actum, successivè explicandum statuere, tam eidẽ quàm alteri parti: quoniam

niam sic dilationi jam concessæ, nullum fit præjudicium ut si decem dies, ad instrumenta producenda, & quinq; ad testes assignentur, non enim hii se mutuo actus impediunt. At si unus actus pendet ab altero, id facere non convenit. Malè quippe darentur decem dies, ad positiones producendas, & decem ad intentionem probandam, quia positiones fortasse tamen erunt claræ, ut probatione non egeant, vel adeo erunt ineptæ, ut omnino sint repudiandæ.

Index uni parti parcere non potest, in alterius partis præjudicium. Cap. 26.

TAmetsi judex propitius nonnihil potest reo contumaci parcere (unum scilicet aut alterum diem illum, post terminum peremptorium, expectando) id tamen in præjudicium partis nè faciat, neq; ita ut impensas non jubeat recompensari.

Diebus feriatis judicia non fiant. Cap. 27.

FEriis institutis ad honorem dei, ut sunt omnes festi dies, a litibus, & judiciis abstineri volumus, neq; testes his temporibus dicent testimonia, atque processus tunc facti, & sententia lata non valebit.

Repentinæ feriæ, quæ jussu nostræ Regiæ majestatis indicuntur, vel ob res fœliciter gestas, vel propter inaugurationem regni, vel publicas supplicationis, feriis institutis ad honorem dei sunto pares, & ejusdem rationis, utq; illis cõtendere non licet in judicio, (etiam volentibus partibus) ita in istis non concedatur.

Quæ in feriis liceant. Cap. 28.

IN feriis, quæ ad pacẽ & concordiam pertinent, fieri permittimus, ut juramenta, facta, transactiones. Licebit etiam his diebus miserabilium personarum causas agere.

Cita-

Citationes non fiant diebus feriatis. Cap. 29.

CItationes, qui fiant die feriato, non valent, & cum nominatim diem feriatum præfigunt ad comparendum, sunt temerariæ. Proinde citet judex ad certum diem, & adjiciat, quòd si dies is fuerit feriatus, proximo venias.

De messe & Vindemia. Cap. 30.

HIs feriis, quæ ad hominum utilitatem sunt institutæ, ut messis, & vindemiarum, partes pro suo arbitrio renunciare possint. Quòd si faciant, & processus judicialis, & sententia lata valebit. Testes tamen compelli non possunt, ut diebus testificentur, si nolint.

Feriis hominum causa institutis, non solum partes renuntiare queunt, sed certis de causis cogi possunt, ut ad judicium veniant, ut si res tempore sit peritura, nec patiatur moram, Ad hæc, sententia, quæ ante has ferias lata fuit, per eas mandari potest executioni, & gravia in Deum scelera cognosci possunt, & puniri.

De certis feriis. Cap. 31.

TOto quadragesimæ tempore, septem diebus post resurrectionis festum, & septem diebus ante natalem domini, quiescant judicia.

De Exceptionibus.

Exceptio quid sit. Cap. 1.

EXceptio est defensio, qua conventus in judicio conatur agentem à se depellere, atque ab actione, vel ejus effectu excludere.

Excep-

Exceptiones peremptoriæ & dilatoriæ. Cap. 2.

PEremptoriæ exceptiones, si probentur, susceptas actiones seu lites penitus tollunt. Dilatoriæ vero illas tantum differunt. Et inter dilatorias, aliquæ appellantur declinatoriæ, sumunturq; ab observatione judiciorum, à ratione personarum, loci, & temporis, ac relcripti, & judicium conantur declinare.

Exceptiones reales & personales. Cap. 3.

REales exceptiones ita rebus, de quibus agitur, cohærent, ut ad omnes illos devolvantur, ad quos res extenduntur, de quibus agitur. Exceptio enim, quæ convenit reo, convenit etiam ejus fidejussori. Personales autem sic certè alicui personæ sunt propriæ, ut ad alios non transeant.

Exceptiones peremptoriæ semper possunt objici. Cap. 4.

EXceptiones peremptoriæ sunt perpetuæ. Nam semper obstant agentibus, neque illis præscribitur, quo minus in omni parte judicii, actori objici valeant.

Quæ exceptiones sint temporariæ. Cap. 5.

DIlatoriæ, atq; declinatoriæ exceptiones temporariæ sunt. Nam illis qui utuntur, causari solent tempus, aut solutione condictum (aut intra quod leges agere prohibent) nondum elapsum esse, vel conditionem appositam nondum extare, vel judicem non esse competentem, & alia id genus. Exceptiones hujusmodi actorem in perpetuum non vetant, quin agat, sed ob mutationem rerum, & temporum facile potest contingere, ut amplius locum non habeant. Sunt etiam ea de causa temporariæ, quoniam si quis

eis non utatur tempore, à jure præscripto, illis deinceps uti non poterit.

Declinatoriæ exceptiones quando sint opponendæ, & quando probandæ. Cap. 6.

OMnes exceptiones declinatorias (cum processum judicii impediant non autem causam perimant) ante litis contestationem, vel primum causæ actum, si lis non sit contestanda, proponi volumus. Et si quis ante litem contestatam, vel primum actum, eas proponere omiserit, illis postea non utatur: Quoniam eas prætereundo actis videtur consensisse. Atq; hujusmodi exceptiones cum objectæ fuerint, probari à reo volumus, priusquam vel ad litis contestationem, vel ad primum causæ actum veniatur.

Exceptiones dilatoriæ quando proponendæ, & probandæ. Cap. 7.

DIlatoriæ verò exceptiones (quibus non processus judicii sed actoris intentio impeditur) cum ad negotium, & rem, quæ agitur, pertineant, & ipsæ proponantur ante litis contestationem, sed eas probare nullus reus cogatur, antequàm ipse actor suam intentionem probare cæperit. Attamen etiam si post litis contestationem proponantur, non erunt repellendæ à judicio.

Declinatoria exceptio contra judicem ante omnes alias proponenda. Cap. 8.

EXceptio declinatoria, quæ contra judicem est, non solum ante litis contestationem debet proponi, sed ante omnes alias, sive dilatorias, sive declinatorias. Nam si de aliis incipiat reus respondere in judicio, judicem videbitur ut suum approbare.

Terminum

Terminum esse proponendum à judice ante litis contestationem, ad omnes dilatorias exceptiones proponendas. Cap. 9.

NE dilatoriis exceptionibus lites malitiosè protrahantur, judici mandamus, ut ante litis contestationem, certum aliquem terminum præscribat, intra quem si reus omnes dilatorias non opponat, deinceps de iis non audiatur, nisi fortassis aliqua ex tempore oriatur inter agendum, aut si prius fuit, reo non erit cognita, aut si fuit cognita, tunc non habuit, ex quo illam probaret, quod postea illi occurrit. Qua de re priusquam audiatur, juramento malitiæ interponat.

Tempus proponendarum exceptionum peremptoriarum. Cap. 10.

PEremptoriæ exceptiones, quæ judicium impediunt, & causam perimunt, ut exceptio rei judicatæ, transactionis & litis finitæ, possunt & ante, & post litis contestationem opponi. Quæ verò solum causam, & negotium perimunt, ut exceptio pacti de non petendo, & similia, rectè opponuntur lite demum contestata.

Quæ exceptiones per totam causam objici possunt. Cap. 11.

EXceptiones excommunicationis, & falsi procuratoris per totam causam objici possunt.

Exceptio excommunicationis infra octo dies est posti probanda. Cap. 12.

VT verò lites plus justo non protelentur, præcipimus, ut is qui excõmunicationem objicit, speciẽ illius, & nomẽ excõmunicatoris exprimat, sciturus eã ibi ẽ se deferre debere in

publicam notionem, quam intra octo dierum ſpatium (die in quo proponitur minimè computato) probare valeat apertiſſimis documentis. Quò ſi non probaverit judex, in cauſa procedere non omittat, rerum in expenſis, quas actor ob hoc, diebus illis ſe feciſſe docuerit, præhabita taxatione condemnans.

De exceptionibus mixtis. Cap. 13.

EXceptiones mixtæ, quæ ſic dicuntur, ut partim dilatoriæ ſunt, & partim peremptoriæ, ſi poſt litis conteſtationem proponantur, vim dilatoriarum non habebunt, ſed tantum peremptoriæ cenſebuntur.

Dilatoria judicii proceſſum impediens omiſſa in prima inſtantia in appellatione non poterit objici. Cap. 14.

EXceptio dilatoria, quæ judicii proceſſum impedit, in cauſa principali non oppoſita, in appellatione abjici non poterit.

Peremptoriæ omiſſæ in prima inſtantia poſſunt in appellatione objici. Cap. 15.

SI peremptoriæ exceptiones in inſtantia omiſſæ fuerint, & quidem non ex malitia, neque ad vexandum adverſarium, in appellatione produci poterunt. Non autem declinatoriæ, aut dilatoriæ ille exceptiones, quæ judicii proceſſum elidunt, ſed illas tantum licebit objicere quæ negotium ipſum, & rei ſummam ſpectant, modò priùs ex malitia non fuerint omiſſæ.

Quid ſit replicatio & quando ſit probanda. Cap. 16.

AD reorum exceptiones, actores replicationes adhibere ſolent, quæ nihil aliud ſunt, quàm allegationes actorũ,

per

per quas exceptio solvitur: neq; actor cogi debet ad suam replicationem probandam, nisi prius reus probaverit exceptionem.

An judex de replicationibus pronunciare debeat. Cap. 17.

VT judex de replicationibus pronunciet, non est necessarium: quia vires earum satis intelligi poterunt, cum judex de ipsis exceptionibus constituerit, an admittendæ, vel repudiandæ sint.

Quantum possit replicatio paris criminis. Cap. 18.

REplicatio paris criminis repellit excipientem. Nam exceptio alicujus criminis ab illo non debet opponi, qui eodem laborare convincitur.

Neq; excipiens, neq; replicans omnia fatetur, quæ dicit excipiendo, vel replicando. Cap. 19.

EXcipiens nō est censendus fateri omnia, quæ in ejus exceptione includuntur, quemadmodum & actor non omnia judicabitur fateri, quæ in replicatione continentur.

De exceptione contra testes, cujuscemodi sit, & quamdiu valeat. Cap. 20.

EXceptio contra testes cum non sit dilatoria, indirectè, & obliquè est peremptoria: Nam ea spectat ut probationē tollat, qua sublata jus actoris elidiitur. Est verò duplex est, nam vel contra personas testium excipitur, cum criminosi dicuntur, vel aliqua alia ratione non idonei, vel contra testium dicta, ut cum falsi arguantur. Exceptio igitur contra personas testium usq; ad sententiam potest objici, & probari. Postea verò non audietur, nisi ad appellationem ventum fuerit. Ibi enim poterit objici. Si verò excipiatur testes

falsum dixisse, usque ad viginti annos locum habet exceptio, ne dum in appellatione, quod tamen accipi volumus cum in agendo non fuit proposita. Nam si tunc objecta est, & non probata, minimè valebit ejus vis ad annos viginti, sed tantum in appellatione repeti poterit.

De exceptione contra testes, & replicatione testium. Cap. 21.

TEstis contra quem excipitur de crimine, si contra excipientem de eodem crimine replicet, ob id non admittetur ad testimonium. Quia non relatione criminis reus purgatur, sed si se innocentem ostenderit.

De Sententia & re judicata.

Judex quando allegata & probata sequi potest contra conscientiam. Cap. 1.

VTile est, quòd à doctis & sapientibus præcipitur, ne quis in judicando sequatur aliquam suam cogitationem, quam secum domo attulerit in judicium, sed secundum allegata & probata pronunciet. Sed hæc regula locum habere debet, quando judex levibus quibusdam argumentis ductus existimat aliter se rem habere quàm probatū sit. Nam isto casu potius sequi debet allegata & probata, quã suam opinionem & conscientiam, ex quadam imaginatione conceptã. Si verò judex habet conscientiam rei indubitatã, tunc nullo modo debet aliquid statuere, contra eã, propter allegata & probata. Sed & in hoc casu rursum distingui debet. Nam si judex habeat conscientiam contra reum, & tamen in actis reus probatur

tur innocens, tum propter ſuam conſcientiam, qua ſcit eum innocentem, condemnare eum non debet, ſed illum, ſecundū id quod probatum eſt, abſolvere. Quia etiam hoc faciat, non tamen poteſt dici eum contra conſcientiam feciſſe, cum reum non ut innocentem, ſed ab inſtantia judicii tantum abſolvat. Si verò judex habeat conſcientiam pro reo, contra allegata & probata, tum non debet contra indubitatam conſcientiam in cauſa decernere. * Quia judici credendum eſt, qui allegat conſcientiam in præjudicium alterius, ſi eam probare poſſit. Videtur redūdare.

Quoniam judex non poteſt ſupplere omiſſa in facto, operæpretium eſt judicare, quonam modo poſſit conſcientiam ſuam pro reo contra allegata & probata adducere, ut non impingat in conſtitutiones, quibus prohibetur aliquid ſupplere in facto. In tali igitur caſu judex per conſultationem ſuperiori judici declaret ſuam conſcientiam. Petat igitur à parte urgente, ac precibus inſtet, ut det ſibi ſpatium conſulendi ſuperiorem judicem, cui ſuam, cum expoſuit conſcientiam, poteſtatem facit, ut ſi tanquam veritatis teſtem audiat, ac deinceps juxta allegata & probata ſententiam pronunciet, neq; ut judex factum ſupplet, ſed ut miniſter juſtitiæ cavet in ejus culpa innocentia proximi oneretur.

Iudex primum certam exquirere debet facti notitiam. Cap. 2.

IUdex in hoc potiſſimum incumbat, ut ante omnia certus ſit de facto, & precipuè in criminalibus quoſuis audiat, innocentiam cujuſvis probaturos, donec in plenam cauſæ cognitionem veniat. Nam in judiciis ordinariis judices jubentur plena inquiſitione rei qualitatem diſcutere. In criminalibus verò judiciis tam clara requiritur facti notitia, ut non permittatur juramenti dilatio, in defectu apertarum probationum, ſicut in cauſis civilibus.

Deinde

Deinde exquirat quod in facto jus sit. Cap. 3.

POst certam facti cognitionem, proximum est ut sententia, qua declaraturus est jus, facto probato sit conveniens, & juri atque consuetudini, quibus quæque regio, aut civitas in ea specie facti utitur. Si vero neque ex lege, neq; ex consuetudine manifesta, judici constare possit, quid in casu proposito pro jure habendum sit, procedendum illi est, de similibus ad similia jura, donec argumento aliquo ex usitato jure ducto, constituere possit quid eum sequi in pronunciando oporteat.

Si ambigat favendum est reo. Cap. 4.

SI verò neque id quidem consequi sua investigatione, aut peritorum consultatione possit, tum in dubio juriis potius pro reo, quàm pro actore pronunciandum est, nisi actor foveat causam favorabiliorem.

Quid sit sententia. Cap. 5.

HActenus traditum est, quæ sunt judici considerandæ, antequam ad ferendam sententiã progrediatur. Statuendũ nunc est de ipsa sententia, ut intelligi possit, quæ pronunciatio judicis mereatur dici sententia, ea solũ pronũciatio judicis meretur dici sententia, qua finis imponitur controversiæ, legitima disceptatione in judicium ductæ.

Quomodo sententia recte feratur. Cap. 6.

STatuimus igitur, ut in observatione solennitas circa ferendas sententias, partes ad sententiam audiendam citentur. Alioqui (cum maximi præjudicii sit sententia) eam, partibus non citatis, pro nulla haberi volumus. Deinde statuimus, ut præsentibus partibus, vel altera contumaciter, absente, sententia à judice tribunali, vel alio loco honesto

vel

sto vel publico sedente, promulgetur quodque sententia concepta ex breviculo, in quo est descripta, per judicem aut tabellarium recitetur, judice clarè attestante, se juxta recitata ex scripto, de causa pronunciare, nisi talis sit casus, de quo verbo tenus, absq; breviculo, liceat pronunciare.

Si lis debeat per sententiam dirimi inter contendentes, necesse est ejus orationem non esse exegeticam, sed definitivam, & decisoriam. Porro non sufficit sententiam esse absolutoriam, vel condemnatoriam, nisi in ea etiam diserte res exprimantur, ad quas præstandas, aut ferendas, reum condemnet, aut à quibus eum liberet. Est enim judici omnino conandum, ut quam fieri possit, sententiam ferat certam, & præcipuè secundum libelli petitionem, dirigenda est certitudo sententiæ.

Vitandum quoq; est ratione certitudinis, quæ in causarum decisione requiritur, ne sententia sub conditione feratur. Operæpretium non est ut causa, quæ judicem movet, ut sententiam ferat, in sententia exprimatur. Verum si propter ineptitudinem libelli lata sit sententia, tunc necesse est ut causa ineptitudinis sententiæ inseratur, qua reus ab instantia judicii absolvatur. Sed tamen est necessarium in causa approbationis, ut judex ad quem appellatum est, semper inserat causam in sententia. Nam judicare eum oportet, quare latam sententiam ab inferiori judice, vel approbet, vel improbet.

Sententiarum species. Cap. 7.

FOrma sententiarum generali absoluta, tandem ad sententiarum species est descendendum, & primum de interloquutoria est decernendum, quia ad eam ordine procedendi in causis prius pervenitur.

De sententia interloquutoria. Cap. 8.

SEntẽtiam igitur interloquutoriam eam esse decernimus,

qua aditus ad principalis causæ cognitionem paratur. Id verò duobus fit modis, aut enim judex simpliciter aliquid imperat litigantibus ut faciant, aut remoras exceptionum (quas utrinq; attulerunt) sua pronunciatione aufert, ut absque obstaculis ad decisionem principalis causæ venire possit. Unde eam sic definiri volumus. Interloquutoria sententia est, quæ inter principium, & finem causæ fertur, super iis quæ incidunt, vel emergunt, citra principalis causæ cognitionem. Talis igitur sententiæ non sit tanta vis, quanta in definitiva. Nam ea lata semper potest revocari per judicem, nisi per eam jusserit partem alteri aliquid restituere, vel dare. Tunc enim judex eam revocare non potest, quia definitivæ speciem habet, ut cum propter aliquam contumaciam, aliqua pars alteri condemnatur in expensis solvendis, aut si jusserit expoliatum restitui in possessionem, priusquam procedatur in petitorio. Idem censendum est de omnibus exceptionibus peremptoriis. Nisi enim lata de eis sententia firma haberetur, at judici liceret, quoties illi visum esset, eam revocare, tum incerta admodum esset progressio ad principalis causæ decisionem.

De sententia definitiva. Cap. 9.

IMpensius verò in sententia definitiva (qua de principali causa pronunciatur) operam navari decernimus. Nam si quid ex illis, quæ circa actus, aut quæ in ipsa forma orationis observanda esse judicavimus, omissum sit, tanquam illegitimam eam rejiciendam esse volumus.

Sententia definitiva retractari non potest nisi contra jus divinum feratur. Cap. 10.

POrrò si nihil talium in sententia definitiva desideretur, ut tanquam illegitimo modo lata, pro nulla haberi possit,

sit, nec ab ea intra spatium, quo appellari permissa est, appellatum sit, tunc eam in rem judicatam transire volumus, hoc est, talem consequi authoritatẽ, ut contravenire nemo possit: nec judici quidem liceat eam revocare, mutare, aut aliquam ejus partem tollere, vel emendare, sive bene, sive male suo officio in ea parte ferenda functus sit. Sed in hac regula magnopere observandum, quòd sententia contra jus litigantium male lata transeat in rem judicatam, modò ab ea appellatum non sit. Sed secus esse statuimus, si sententia manifestam iniquitatem continens est ipso jure nulla, nec debet quis jure cogi, ut ei stet, etiamsi ab ea appellare sit prohibitus. Proinde sententia, quæ sine peccato mortali servari non potest, rectè à judice revocatur, & à litigantibus tanquam nulla negligitur, quia transire in rem judicatam non potest, propter offensionem conscientiæ, licitè etiam judex mutabit sententiam, si viderit eam obesse reipublicæ.

Judici quando liceat sententiam mutare, addere, & minuere.
Cap. 11.

VItium grammaticum, si quod est in verbis sententiæ, illud per judicem tolli liceat. Porrò judex sententiam definitivam latam non solum mutare, sed & supplere in pronunciando, de accessionibus & immunitionibus actionum, si tamen eadem die, qua ferat sententiam, id ab eo fiat, & antequam pronuncietur in actis id petitum sit. Nephas enim videtur, peracto semel in judicio, iterum permittere, ut ex sopita lite, nova lis de actionibus & immunitionibus actionum moveatur. Aliâs immutationibus.

De impugnatione sententiæ. Cap. 12.

PORRÒ nobis nunc pergendum est, ut de impugnatione sententiæ interloquutoriæ, & definitivæ decernamus. Cum proclive admodum sit falsam sententiam ferre, operæpretium est modos quosdam tenere, quibus occurri ei possit, ne nobis fraudi sit illius ratihabitio, aut nostra in ea admittenda supinitas. Cæterum antequàm quis conetur sententiam impugnare, videre debet, an secundum allegata, & probata, & ut exigant jura & consueto, atq; legitima forma, cum observatione solennitatum lata sit. Nam si tale quid circa eam non observatum esse appareat, non est opus eam impugnare, quia ipso jure illam pro nullo haberi volumus, quæ manifestum juris errorem continet, adeò ut nec in rem judicatam transeat, etiamsi ab ea appellatum non sit, aut provocatio ab ea facta deserta sit. Igitur contra quem talis sententia lata est, defendere se nullitatis exceptione potest, si ex ea conveniatur, & talis exceptio competit illi perpetuò, hoc est, quadraginta annis, quibus omnis actio, & obligatio tollitur.

In casibus, quibus judex sententiam suam revocare potest, sententiæ ejus emendationem simpliciter petitam esse sufficiat. Quia in talibus casibus, aut evidens est causa ejus revocandæ, aut solennitas processus judicari nõ requiritur. Sed si ratione nullitatis petatur mutari, aut corrigi sententia, necesse est errorem, aut fraudem judicis legitimis documentis declarari, ut causa, propter quam contenditur, fiat manifesta. Et probandum erit, si quid eorum, quæ ad cognitionem legitimam necessariò requiruntur, à judice neglectũ fuerit, ut si amissa sit citatio partiũ, aut nõ oblatus libellus, aut lis non contestata, aut de calumnia non juratũ, aut sententia non sit lata secundum legitimam formam, quæ supra

est

est descripta, tunc ea debet dici nulla. Quia ea judiciorum rectè constituendorum causa observari jubentur, ut judex rectè & ordine pervenire in causæ notitiam possit.

Quoties verò exigit casus, ut de nullitate sententiæ, pronuncietur, non apud alium judicem superiorem, sicut in appellationibus, sed apud eundem, qui de causa principali judicavit causa agenda est. Sed hoc tunc solũ fit, quando coram Ordinario causa agitata est, non cum apud delegatum judicem. Nam ejus jurisdictio extinguitur, cum ab eo male judicatum est, quoad sententiam definitivam & non interloquutoriam, revocare potest, neq; propter illã officio suo est functus: verum si definitiva sententia male judicavit, potest ab eo ad delegantem appellari, ac peti, ut aut ipse causam cognoscat, aut alteri eam cognoscendam demandet.

Subsidium impugnationis sententiæ. Cap. 13.

RElíquum est ut de subsidio impugnandæ sententiæ aliquid decernamus, quod huc videtur referendum, nempè quærela falsi. Nam & illud subsidium generaliter omnibus competit, qui falsorum instrumentorum, aut testium authoritate, & subornatione, se judicio succubuisse ostendere possunt: si in perveſtigatione causæ, cognitum de crimine falsi non sit, & apparet judicem specie talium probationum deceptum esse, tunc propter odium ejus criminis, non solũ jubemus sententiam rescindi, antequàm ab ea appellatũ sit: sed volumus, ut postquam ea transierit in rem judicatam, læsus per eam in integrum restituatur, ut denuò experiri judicium possit. Ac si quid secundum eam solutum sit, licet ei illud repetere.

De rejudicata. Cap. 14.

Decisio litis est res judicans, sed illud quod in ea decisione

statuitur, sit res judicata, si ea ritè & legitimè facta sit, ita ut tanquam nulla impugnari possit, nec ab ea appellatum sit.

Quando res inter quosdam judicata præjudicat aliis. Cap. 15.

ET cum tanta sit vis rei judicatæ, obiter considerandum venit, an illis solum ea præjudicet, inter quos judicatum est, an illis etiam, quos controversia, de qua judicatum est, vel ratione communis rei, vel contractus contingat. Videndum igitur quàm latè jus sententiæ se extendat, ad nocendum aliis, vel eos juvandos. Est generalis regula, quod res inter quosdam gesta non nocet aliis. Et habet hæc regula locum, sive in judicio, sive extra judicium aliquid actum sit. In re autem in judicio acta, hoc addēdum est regulæ: quòd ne tum quidem nobis præjudicent acta aliorum, si nostro nomine quid fecerint, si id sive nostro mandato, aut ratihabitatione factum sit. Licet autem hæc regula sit generalis, attamen si quid fiat (me sciente, & non prohibente) ab eo, qui commune jus, in ea re, de qua actum est, mecum habeat cum potuerim eum prohibere, tum sententia contra eum lata mihi præjudicium parit: secus est, si ejus molitionem nescierim, neque potestatem eum prohibendi habuerim.

Sunt q; casus, in quibus sententia simpliciter omnibus præjudicat, quorum interest non esse ita judicatum, si ea in rem judicatam transiit: ut si quærela in officioſi testamēti, rescisum sit testamentum, ea, quæ ex ejus dispositione, nomine legatorum debita fuissent, si contra illud non fuisset judicatum, peti non possunt, imò etiam soluta repetuntur. Cum ubi majus est periculum, ibi cautius est agendum, æterniq; tribunal judicis illum reum non habere certum sit, quem injustè judex condemnat, maximoperè cavendū est ecclesiasticis judicibus, atq; prudenter attendē. ū, ut in causarum quibuscunq; processibus nihil vendicet odium, vel favor

favor usurpet, sed timor exulet, præmium aut expectatio præmii justitiam non evertat: sed stateram in manibus gestent acceptationem personarum non habentes, lances pro libramine appendentes, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint (præsertim in concipiendis sententiis & ferendis) præ oculis habeant solum deum, illius imitantes exemplū, qui querelas populi (tabernaculum ingressus) ad dominum referebat ut secundum ejus imperium judicaret. Quisquis enim judex ordinarius sive etiam delegatus, famæ suæ prodigus, & proprii persecutor honoris, contra conscientiam, & contra justitiam, in gravamen alterius partis quicquam, per gratiam, vel per sordes in judicio fecerit, per annum ab executione officii, noverit se remotum, ad estimationem litis, quam læserit, nihilominus condemnandus.

De Appellationibus.

Appellatio quid sit. Cap. 1.

APpellatio (ut à definitione incipiamus) est à minore ad majorem provocatio, & per eam legitimè interpositam, & pronunciatam, & jurisdictio judicis quo ad illam causam suspenditur, & ipsius cognitio, & examen ad superiorem transfertur. Distinguitur autem in judicialem, & extrajudicialem.

De appellatione judiciali. Cap. 2.

APpellatio judicialis est, cū in judicio provocatur ad superiorem judicem à definitiva: ab interloquutoria, vel à gravaminibus, quæ in agendo causam quandoq; partibus infliguntur. Cumq; appellatur à definitiva sententia sufficit dixisse, ab iniqua hac sententia appello. Sed quando ab interloquutoria, vel gravamine aliquo provocatur, causa amnino assignanda est, quæ vera sit, justa, & expressa.

Et

Et si propriè loqui velimus, appellatio non est, nisi in judicio. Quæ verò fit extra judicium, provocatio dici poterit.

De appellatione extrajudiciali. Cap. 3.

EXtrajudicialis appellatio est à præsenti, seu verisimiliter futuro gravamine, ad superiorem provocatio, antequàm ad judicium veniatur, in qua probabilis, & verisimilis ratio debet assignari, quæ si reddita fuerit, causam ad superiorem judicem transfert. Et appellatione hujusmodi pendente, nil in appellantis præjudicium tentari potest à judice, à quo est appellatum.

Appellare licet etiam in causis extrajudicialibus. Cap. 4.

IN actis extrajudicialibus appellare licet, ut ab electionibus, postulationibus, provisionibus, & cæteris hujusmodi. Sed interponere oportet appellationem infra dies decẽ, à notitia, qua quis gravari se intellexit. Nam elapsis decem diebus, per viam appellationis non amplius audietur: sed per alia remedia juris petere poterit, ut integrũ restituatur, & revocetur gravamen.

Quæ sit vis appellationis extrajudicialis. Cap. 5.

APpellatio extrajudicialis, si interponatur ex probabilibus & verisimilibus causis, adeò devoluit causam ad superiorem, ut actus gestus contra eam sit nullus. Undè si quis appellaverit, ne possessione molestetur, cũ se molestãdum verisimiliter suspicetur, si ea spoliatur, restituitur ante omnia in statum, in quo erat tempore appellationis emissæ.

In extrajudiciali appellatione, si appellans, & ejus adversarius diversos habeant judices, licebit appellanti ad e-

um

um revocare, qui sibi ordine competit, & valida erit ejus appellatio.

In judicio non licet appellare à futuro gravamine. Cap. 6.

IN judicio non potest appellari à gravamine futuro etiam sub conditione: ut si ne gravaveris, appelles, sed debet prius expectari gravamen, & postea appellare, ut enim à futuro gravamine appelletur, solum extra judicium conceditur.

Si appellatio scripta porrigatur judici, satis est, nec requiritur ut coram eo legatur. Cap. 7.

APpellatio in scriptis judici porrecta non potest, quòd coram eo lecta non fuerit, legitimè impugnari.

Quid agendum sit si justus metus impediat ab appellando. Cap. 8.

SI justus metus vel judicis, vel adversarii, vel municipalis legis, quæ prohibeat ab aliquibus causis appellari, fortasse impediat quenquam ab appellando, excusabitur: & esse volumus ac si appellaverit, modo coram judice protestetur, à quo gravatur, de metu si audeat, & fieri possit, vel ejus copiam habeat. Quod si non est autus. & copiam illius non habuit, si fieri possit coram judice, ad quem decernit appellare, suam interponat appellationem. Quòd si non succedat, satis ei tunc esto, coram uno aut pluribus viris bonis, notorio adhibito, ac testibus, de hoc metu protestari, appellare, & causas, propter quas appellarit exprimere: atq; ab eo, vel ab eis, apostolos obtinere; coram quibus appellat. Curandum tamen est, ut judici appellatio hujusmodi quoquo modo, intimetur intra decem dies, à gravamine, vel à sen-

tentia. Alioqui si ad ulteriora, in causa procederet, quæ ageret non essent invalida. Adversarii verò præsentia, dum sic appellatur, non est necessaria. Sufficit enim ut ei fiat intimatio. Cum verò neque justus metus obstat, & judicis copia potest haberi, semper coram eo tam judicialis, quàm extrajudicialis apellatio fieri debet, atq; in scriptis porrigini si à definitiva sententia statim, ut dictum est, unica voce sit appellatum.

Quibus casibus appellare non licet, aut frustra appellatur. Cap. 9.

NEq; à correctione, neq; ab executione licet appellare, nisi modus excedatur, atque tunc causa, & ea quidem vera exprimenda est. In notariis etiam prohibemus appellationem, à pœna quoque juris non licet appellare: sed à sententia judicis appellatur, qua pronunciavit litigantem, in pœnam juris incidisse. In omnibus, in quibus jura prohibent appellationem, judex non cogitur ei deferre, cum interponitur, nisi causa diserte exprimatur, atque isto casu appellando, à definitiva sententia, causam exprimere necessarium est, cum aliâs non requiratur. Ad hæc in his, quæ dilationem temporis non admittunt, appellatio non recipiatur. Si appellatio est manifeste frivola, judex eam admittendo non recte agit. Tertio appellare ab eodem articulo, vel ab eadem sententia, non licet. Ab arbitrio appellare etiam non licet, neq; in enormi, & gravi scelere. Qui appellat, post decem dies, non audiatur per viam appellationis, quamvis conqueri possit, & alia ratione agere, ut in integrum restituatur. In civilibus unus pro alio non appellat, nisi ejus interest. Cum quis in judicio confessus fuerit, non admittitur ejus appellatio, modò per seipsum, non per procuratorem sit confessus, neque confessio per tormenta, aut eorum metum sit extorta: imo etiam id requiritur, ut de

eo,

eo, quod eſt confeſſus, in judicio ſit convictus, & appellationi foventi aliquam injuſtitiam, vel iniquitatem nunquam eſt deferendum: nec q; recipietur appellatio, quando à noſtro regia Majeſtate cauſa ſubdelegata eſt, ſub conditione, ut inde non appelletur.

Quando ante ſententiam definitivam liceat appellare in cauſis Eccleſiaſticis. Cap. 10.

IN cauſis Eccleſiaſticis, ante ſententiam definitivam appellare, ſive querelare prohibemus, niſi à ſententia cenſurarum, aut correctionis, ubi modus excedatur: aut ubicunque damnum, aut gravamen illatum per appellationem, à definitiva non eſt reparabile. In quibus caſibus appellare, & etiam querelare ante ſententiam definitivam licebit.

Quo ordine appellandum ſit. Cap. 11.

AB Archiadiaconis, decanis, & his, qui ſunt intra pontificiam dignitatem, & juriſdictionem Eccleſiaſticam habent, ad Epiſcopum liceat appellare, ab Epiſcopo ad archiepiſcopum, ab archiepiſcopo verò ad noſtram majeſtatem. Quo cum fuerit cauſa devoluta, eam vel concilio provinciali definire volumus, ſi gravis ſit cauſa, vel à tribus quatuorve Epiſcopis, à nobis ad id conſtituendis. Quibus rationibus cum res fuerit definita, & judicata, per appellationem amplius cognoſci non poterit. Obſervari tamen præter hæc volumus, ut ſi cauſa fuerit ſubdelegata, ſemper ad ſubdelegantem appelletur, à quo ſi rurſus fuerit appellandum, ordo jam deſcriptus conſervetur.

Quomodo à pluribus judicibus appelletur. Cap. 12.

SI plures judices fuerint lata ab eis ſententia, vel gravamine aliquo inflicto, cum omnes ſimul haberi

non possint, coram majori parte illorum appellare licebit, & Apostoli peti seorsim ab eis poterint. Sed tamen appellatio ipsa, delatio ad certum judicem, & præfixus terminus adversario, si non adfuerit, sunt intimanda.

Qui per appellationem in una causa liberatur, à suo judice in aliis tamen ei debet respondere. Cap. 13.

PEndens appellatio non est sufficiens, & ido nea causa, ut judex, à quo appellatu n est, in aliis causis repudietur. Unde cum quis duas, diversasq; causas habet sub eodem judice, licet quoad unam earum appellaverit, de altera tamen cogetur judici respondere à quo appellavit.

Non obstat prior appellatio deserta, quando propter novum gravamen rursus appellari possit ab eodem judice. Cap. 14.

QUi appellavit, & appellationem deseruit, rediitq; ad judicem, à quo appellavit, si rursus ab eo gravetur, denuò poterit appellare.

In causa communi plurium, unius appellatio alios etiam juvat. Cap. 15.

SI ex pluribus una sententia condemnatis, qui communi interesse jure jubentur, idemque habeant negotium, & eandem causam defensionis, unus appellaverit, ejus victoria proderit aliis. Et si fortasse is unus qui appellavit, cæteris tacentibus & scientibus appellationem deseruerit, quivis alius ex illis eam prosequi poterit.

An juramentum interpositum prohibeat appellationem. Cap. 16.

SI quis juraverit se statutum judicatis, & definitis in aliquo

quo judicio, quoniam juramenta semper ad causas honestas contrahenda sunt, & verisimiliter cogitatas, ideò si eveniat, ut sententia, vel mandatum judicis, & honestatis, & justitiæ limites excedat, licitè qui juravit inde potest appellare, cum juramentum iis casibus non urgeat. Verum si hoc non accidat, sua ipsius promissione astringitur, ut non appellet.

Ob suspectum locum licet appellare. Cap. 17.

LOcus judicii exercendi, ad quem judex citaverit, debet esse tutus domino & omnibus his, qui pro eo interveniunt, ut ad locum possint ire securè. Aliàs proposita exceptione de loco suspecto liberè licet appellare.

Tam in majoribus, quàm in minoribus causis licet appellare. Cap. 18.

ET in majoribus, & in minoribus causis, appellendi facultas non denegetur. Nec enim judex injuriam sibi fieri debet existimare, eo quòd litigator appellat. Quia quantitas causæ non facit, quarè sit appellandum, sed iniquum gravamen.

Qualis causa reddenda sit in appellationibus. Cap. 19.

QUum sit extra judicium appellatio, causa potest assignari, quæ sit generalis, & incerta, respectu personarum, seu gravaminis, cum fiat læpissime de futuro, quod minime potest determinatè sciri. Sed in appellatione judiciali, quando reddenda est causa, illam & certam, & specialem esse oportet, cũ semper fermè sit vel de præsẽti, vel de præterito gravamine. Præterea in judicio, causa appellandi debet esse

vera. Sed extra judicium satis est, quòd causa sit verisimilis & probabilis, utputà verisimiliter timui gravari in possessione alterius rei, licet adhuc non sum gravatus, tamen extra judicium possum appellare.

Cum appellatur à definitiva licet aliter agere quam in aliis appellationibus permittatur. Cap. 20.

IN appellatione à definitiva sententia, cum non sit necessarium causam exprimere, appellans, cum unam causam exposuerit in agendo, aliam poterit prosequi, & post eam, aliam, quoad ei suppetent. Sed in aliis appellationibus, cum debeat causa exprimi, non poterit citra expressam, alia tractari in prosecutione.

Coram quo judice appellationis causa sit proponenda, & coram quo justificanda. Cap. 21.

CAusa appellationis, cum est exprimenda coram judice, à quo appellatum est, proponetur, nisi metus obest, & si copia ejus haberi potest: sed coram judice, ad quem appellatum, justificabitur.

Si exceptiones legitimæ cum probationibus offerantur judici, si rectæ fuerint & licitæ, appellatur, & justificatur appellatio. Cap. 22.

EXceptiones legitimæ, & earum probationes, quando judici oblatæ fuerint, si ab eo non admittantur, justa causa præbetur appellandi, quin & appellatio coram judice, ad quem provocatum est, propter hoc justificabitur, licet veritas exceptionis non probetur. Non tamen volumus sufficere appellanti, si dicat se materiam sive exceptionem legitimam, & veram proposuisse & appellasse, nisi doceat propter exceptionem non admissam, appellasse.

Juſtificata appellatione, non eſt probata obiter exceptio. Cap. 23.

CONſtituimus præterea, ut talis oblatio probationis juſtificet ſolum appellationem, quoàd devolutionem cauſæ, non autem ut exceptio habeatur pro probata, in præjudicium partis adverſæ.

Ob quas alias injurias, & cavillationes judicis licet ab eo appellare. Cap. 24.

PRæterea ſi judex procedat ad ulteriora, exceptione vel materia neglecta, licet expreſsè eam non repulerit, poteſt ab eo appellari. At hæc ſi judex non procedat ad ulteriora, ſed ſuperſedeat, vexando excipientem, vel materiam proponentem, quam ſæpe citat ad audiendum deliberationem ſuam, vel ad idem ſæpe aſſignavit terminum, tunc volumus, quòd ſi judex, bis humiliter requiſitus non pronuntiat, poſſit ab hoc gravamine appellari.

Quomodo in diverſis appellationibus proceſſus juſtificetur. Cap. 25.

ET licet proceſſus primi judicis juſtificari, vel impugnari non poſſit, quando appellatur ab interloquutoria, niſi ex actis coram eo in appellatione, tamen in appellatione à definitiva ſententia, poteſt judex ad quem, ex novis actis coram eo habitis, ſuum proceſſum juſtificare, & contrarium primæ ſententiæ pronunciare. Quia non allegatum, vel probatum in cauſa principali, poteſt allegari, & probari, in cauſa appellationis.

Ad quid inventæ ſunt appellationes. Cap. 26.

Appellationes non ad deprimendã cujuſquã juſtitiã ſunt inventæ, ſed ut gravamen impoſitum reparetur, & ad cor-

corrigendam iniquitatem, & imperitiam judicis, & nonnunquam ad ipsius afflicti succurrendum inscitiæ. Nam in appellatione persæpe locum habet, quod jactatur non probatum, probabo, & quod non est oppositum, opponam. Etenim quæ in prima instantia sunt omissa, frequenter in secunda, locum habent.

In causa appellationis aliquæ exceptiones repeti possunt, quæ in prima instantia locum non habuerunt. Cap. 27.

CUm peremptoria exceptio in instantia non fuit admissa, interposita appellatione à definitiva sententia in causa appellationis, denuò poterit objici & probari. Idemque licebit si eadem exceptio peremptoria in priori instantia, vel negligentia, vel oblivione omissa fuerit: verum exceptiones illæ quæ in priori instantia necessariò erant opponendæ, ante litis contestationem, in causa appellationis objici non poterunt.

Lapsus termini quandoq; non obest. Cap. 28.

LApsus termini ad appellandum vel appellationem finiendum, non præjudicabit appellanti, quo minus ex causa legitima audiatur, saltem per beneficium restitutionis in integrum, & fiet restitutio usque ad tantum tempus quantum fuit tempus impedimenti. Quia si impedimentum non fuisset, habuisset effectum suum appellatio: volumus tamen ut suam diligentiam ostendat infra tempus impedimenti, quia aliter constare non possit impedimentum causam præstitisse, neq; sufficit probare impedimentum fuisse nisi doceatur id impedimentum fuisse causam non agendi quod probatur probando tunc temporis diligentiam.

Ter-

Terminus ad appellandum est decem dierum. Cap. 29.

APpellationes & nullitatem querelas infra decem dies, utiles, à tempore notitiæ latæ sententiæ, aut gravaminis, à quo per constitutiones nostras appellare, sive querelare licet coram judice, à quo provocatur, fieri volumus.

De terminis ad prosequendam & ad finiendam causam appellationis. Cap. 30.

CUm quis appellaverit, vel de nullitate conquestus fuerit, nisi infra duos menses à tempore appellationis, sive querelæ interpositæ, eandem prosequutus fuerit, & judicem à quo, de prosecutione hujusmodi per citationem, vel inhibitionem superioris, certiorem fecerit, ac infra sex menses, à fine ipsorum duorum mensium numerandos, ipsam appellationem sive querelam (legitimo impedimento cessante, quod a judice à quo appellatum est, approbandum erit) finiri obtinuerit, sententiæ contra eum prius latæ stare compelletur. Et habebit ejus appellatio deserta censeri. Terminum vero ad prosequendam litem datum à lege concedimus, cum à judice, tum ab appellante posse imminui non autem prorogari.

Lata sententia definitiva non est ante decem dies mandanda executioni. Cap. 31.

ILlis decem diebus à lata sententia, quibus appellare licet, judicatum non mandetur executioni quod non modo in civilibus, verum & in criminalibus observari decernimus. Volumus etiam ut in ipsis criminalibus, etiam invito condemnato, quivis alius pro eo possit appellare.

Quomodo labatur terminus in extrajudiciali appellatione. Cap. 32.

IN appellatione extrajudiciali, propter gravamen aut futurum

turum, aut jam inflictum, interposita, terminus vel à jure datus, vel à judice, vel appellante præfixus ad litem prosequendam, non à die appellationis fluere incipiet: sed à die, qua oppressus cognovit se gravatum, qui nihilominus si fuerit elapsus, non obstabit, quin oppressus à superiori judice audiatur, non quidem appellationis via, sed querelæ: cum in appellatione appellans, qui semel eam deseruerit, quoad ipsam non amplius audiri debeat.

Terminus finiendæ causæ appellationis à judice, à quo appellatur, non potest mutari Cap. 33.

JUdex à quo est appellatum, licet valeat præfigere terminum appellationis prosequendæ, non tamen illius finiendæ alium terminum potest constituere ab eo, quod jus concedit.

Si compromissum interponatur, non labitur terminus. Cap. 34.

SI appellatione interposita partes consenserint in compromissum terminum, ad prosequendam appellationem currere nolumus, nisi judex animadvertens ex nimia dilatione imminere periculum, in causa juberet progredi.

De generibus Apostolorum. Cap. 35.

APostoli non omnes sunt ejusdem generis. Aliqui sunt dimissorii, atq; tunc dantur, cum judex appellationi defert. Sunt & refutatorii, qui dantur, cum appellatio non est amissa. Tertio loco dicuntur alii reverentiales, hiq; dantur, quando non merito causæ, sed propter honorem judicis, ad quem appellatum est, defertur appellationi Postremò Apostoli, si quandoque in appellatione dantur extrajudiciali, vel conventionales, vel testimoniales dici consueverunt.

Quando

Quando sit opus Apostolis, & quando non.
Cap. 36.

IN appellatione judiciali semper opus est Apostolis, non item in appellatione extrajudiciali.

Quando petendi Apostoli, & quis terminus eorum petendorum concedatur. Cap. 37.

QUando judex appellatione interposita, præfixit diem ad dandos Apostolos, appellans tunc ad eos petendos debet comparare, quòd si non faciat, sententia contra illum lata poterit executioni mandari. Et quum spatium termini præfixi ad Apostolos dandos amplum fuerit, appellantem satis erit aliquando comparare, & loco, & tempore congruo Apostolos instanter petere. At si judex aperte dixerit, se nolle dare, vel si præfixo termino, aut ex malitia, aut negligentia non dederit, poterunt litigantes appellationem sine illis prosequi. Et si judex qui non dederit, procedere attentet in causa, omnia quæ fecerit, erunt invalida: & à judice ad quem appellatum est, arbitraria pœna plectetur. Tempus autem, quoad Apostolos dandos longissimum, & quod proferri non possit, triginta dies esse volumus, intra quod spatium, si appellans eos instanter, loco, & tempore congruo non petierit, appellationi renunciasse censebitur.

Quid in Apostolis contineri debeat.
Cap. 38.

IN Apostolis, appellationis causa exponetur. Et an admissa sit appellatio, vel non admissa declarabitur. Et à quocunq; dentur Apostoli, illis apponendum est ejus sigillum à quo dantur. Cumq; judex Apostolos dederit, appellanti, quoq; terminũ prosequendæ appellationis constituet.

Verum ex Apostolis datis, vel præfixo termino, non intelligetur judex appellationi interpositæ detulisse. Nam Apostoli facilè potest fieri ut sint refutatorii, & constituitur terminus ad malitiam litigantium compescendam, ne superfluis moris lites extrahant.

Appellanti non est fraudi si post gravamen allegat ad tribunal judicis, nec ob id impeditur quando intra decem dies ab eo appellari possit. Cap. 39.

QUando aliquis est in judicio gravatus, licet post gravamen ad judicem venerit, qui eum gravavit, & aliquid ad ejus tribunal egerit, propter hujusmodi acta non eripitur ei facultas, quin infra decem dies ab inflicto gravamine, appellare possit, præsertim cum ea, quæ post gravamen egit, non sponte, sed vi judicis adactus egerit.

Appellans si quid cum protestatione agat coram judice à quo appellavit, ne propterea deserit appellationem. Cap. 40.

QUando aliquis appellavit, licet ad judicem à quo appellatum est, post appellationem interpositam venerit, & aliquid ad ejus tribunal egerit, modo protestetur, se non ob id velle appellationem deferre, non judicabitur illi non renunciasse.

Post appellationem debet judex à tota causa supercedere, nisi gravamen inflictum revocet. Cap. 41.

QUamvis appellatio interdum certũ aliquem causæ articulũ spectet, nihilominus ea interposita, judex à quo appellatũ est, à tota ipsa causa supersedebit. Non enim quispiam cogi debet, ut illi judici respondeat, in ea causa, in qua se

se gravatum ad eo sentit, neq; amplius ad illum comparere adigitur, ut respondeat, neq; ut de gravamine doceat, nisi fortasse citetur ad audiendam gravaminis illati revocationem. Quam revocationem si judex fecerit, sive comparente eo, qui appellavit, sive non comparente, & ad solvendas expensas, si quas appellans fecerit, sese obtulerit, & adeundus est, & sub eo agendum. Nam causam, à quo fuit appellatum potest reassumere, & ad ulteriora procedere. Quod tamen tunc solum habet locum, quãdo appellationi minimè detulit. Nam si eam fortasse receperit, neq; gravamen revocare, neq; causam potest resumere. Etenim jurisdictio ejus, quoad illam causam, prorsus transfusa est in judicem superiorem. Poterit nihilominus postea de illa cognoscere, si judex, ad quem est appellatum, illam ad eum remiserit. Itaq; deferendo appellationi causam illam judex omnino à se abdicat, nisi deferatur appellatio, & terminus præfixus elapsus fuerit, intra quem appellans debuit prosequi appellationem. Isto siquidem casu lis denuò ad illum redit.

Quæ attentantur post appellationem sunt irrita. Cap. 42.

QUæ attentantur contra & post appellationem, sive judicialem, sive extrajudicialem, sunt ipso jure nulla. Potest attamen judex à quo appellatum est, omnia eà facere, pendente appellatione, quæ ad ejus faciliorem exitũ tendant.

Quæ innovata post appellationem à judice appellationis revocari debeant, & quæ non. Cap. 43.

INnovata, post appellationem à definitiva, aut interlocutoria, & appellationem, ante omnia per appellationis judicẽ revocari debent. Innovata verò post appellationem,

ab interloquutoria, seu gravamine, donec appellationis causam veram esse constiterit, revocari non debent, nisi, post inhibitionem (ne procederet in causa à superiore) factam, inferior judex processit. Nam irritum est, & invalidum quicquid agitur post inhibitionem.

Quatenus judex, à quo appellatur, de appellationis justitia potest cognoscere. Cap. 44.

IUdex, à quo appellatur, de appellationis justitia potest cognoscere, quo sese instruat, an illi sit deferendum: non autem in præjudicium appellationis. Nam hæc ad judicem pertinet, ad quem est appellatum.

Quando judex appellationis causam debeat ad inferiorem judicem remittere. Cap. 45.

INferior judex quando appellationi à definitiva minimè detulit, debet superior vanitate, seu malitia cognita illius, appellationis causa ad illum remittere, ac eodem die appellantem injustè condemnare quoad expensas. Cum verò judex inferior appellationi detulerit, in potestate superioris erit, causam ad eum remittere, vel apud se retinere, quo accipiendum est, si prosecutio coram superiore fiat. Item cum superior appellationem ab interlocquutoria, sive gravamine, frivolam esse causam cognoverit, causam ipsam remittat. Si verò ipsam appellationem ex veris & justis causis fuisse interpositam cognoverit, causam principalem in suam accipiet potestatem. Nec ulterius eam ad inferiorem judicem remittat.

Judex ad quem appellatum est, non prohibeat inferiorem, nisi prius ei constet legitimè appellatum esse. Cap. 46.

PRohibeus ne judex, ad quē appellari, seu querelari contigerit, judici, à quo appellatum est, prius inhibeat, quàm appellatum, sive querelatum legitimè sibi fuisse constiterit.

Nisi

Nisi à definitiva statim, judice pro tribunali sedente, viva voce apud acta fuerit appellatum, sive querelatum. Quo casu sufficiet judici, ad quem appellatum est, de hoc per appellantis, aut procuratoris ejusdem habentis mandatum, juramento constare.

Sententiæ excommunicationis, & suspensionis non revocandæ à judice appellationis, nisi vocatis partibus. Cap. 47.

NOn solum statuimus, ut si negetur per appellationem negotium devolutum, non inhibeat judex appellationis judicem à quo, in causa procedere: nisi de volutione constiterit. Verum sententias quoq; suspensionis, sive excommunicationis, in appellantem ab eo, à quo appellatum, proponitur, promulgatas, nullatenus (nisi vocatis partibus, & de appellatione constiterit) volumus judices appellationes revocare, aut denunciare esse nullas.

Puniendus quomodo sit judex, qui justè appellationi non detulerit. Cap. 48.

SI judex legitimè appellationi non detulerit, est puniendus, & si criminalis fuerit causa, deponetur. Sin verò civilis, à superiori arbitraria pœna mulctabitur.

Non est necessaria citatio partium in causa appellationis. Cap. 49.

IN cognoscendo de appellatione primum omnium esse videretur, ut partes citarentur ad justificandam, & impugnandam appellationem. Sed hoc necessario non requiritur, cum tempus præfixum habent ad prosequendam appellationem.

Quando judex à quo appellandum est, puniendus fuerit à judice ad quem fuit provocatum, debet citari: quin & si volet assidere judici superiori, poterit, dum causam à se judicatam retractat, ne quid in ejus præjudicium fiat.

Judex

Iudex à quo appellatum est, non punietur à superiori, nisi citatus, & illi assidebit in causa retractanda, si visum fuerit. Cap. 50.

QUando judex ad quem appellatum est, definit contra sententiam inferioris judicis, propter novas rationes coram ipso allatas, quæ in priori judicio non fuerunt agitatæ, non simpliciter dicet in sententia, inferiorem judicem malè judicasse. Sed cum adjectione ob defectum probationum, quæ tum non fuerunt adductæ.

Iudex ad quem appellatur pro arbitrio non potest appellationem requirere, vel admittere. Cap. 51.

NOn est in facultate judicis ad quem appellatum fuerit, vel recipere, vel renuere appellationem, quin si justa fuerit, eam recipere cogitur. Iudicandi quippe munus publicum est, neque ab ea renuntiari potest, qui judicandi munus occupat.

Partes quandoq; possunt renuntiare appellationi. Cap. 52.

PArtes de mutuo cõsensu valent interpositæ appellationi renuntiare, & ad judicẽ à quo appellatum est, reverti: neq; ad hoc faciendum sufficit unius partis voluntas, & etiam fieri non potest, si judex appellationi detulit. Quia tunc ex eandem causam non amplius judicare valebit, nisi vel judex ad quem appellatum est illam ad se remiserit, vel terminus præfixus ejus prosequendæ fuerit elapsus.

Suspectus appellans, aut fidejubeat, aut custodiatur. Cap. 53.

Si appellãs fuerit suspectus de fuga, vel det fidejussores de pro-

prosequenda Appellatione, vel custodiatur.

Inferior Iudex exequitur à se sententiam latam, si confirmetur à superiori. Cap. 54.

SI lata sententia confirmetur per Iudicem ad quem appellatum fuit, executioni mandabitur, à judice à quo est appellatum.

In Appellatione à definitiva gravamen quodcunque per interlocutoriam illatum, à judice Appellationis revocari potest. Cap. 55.

CUm sententia definitiva appellatum, vel de nullitate querelatum fuerit, gravamen quodcunque, quod per interlocutoriam illatum fuit, licitè per appellationis judicem emendari possit.

Appellans eum deserit appellationem condemnatur, adversario prosequenti in expensis. Cap. 56.

CUm quis Appellationem interpositam deserit, & adversarius eam prosequitur, desertor ei condemnabitur in expensis.

Qui non sui adversarii appellationi defert, sciat suæ quoque non deferendum. Cap. 57.

SI quis Appellationi interpositæ à suo adversario non detulerit, nec suæ, si postea in eadem causa interponatur, cogi poterit Adversarius ut deferat.

Post Appellationem, non est denunciandæ Excommunicatio. Cap. 58.

SI Appellatio fuerit interposita, priusquam excommu-

nicatio sit denuntiata, denunciationem ejus impedit.

Excommunicatio post appellationem lata, est invalida. Cap. 59.

ET sicut non tenet Excommunicatio lata post Appellationem judicialem, ita neq; appellationem extrajudicialem. Timens ergo injustè excommunicari appellat extra judicium, & suspendit jurisdictionem Judicis. Sed post gravamen inflictum necesse est appellare.

Revocatio causæ ab Episcopo factæ, vel à superiori judice, quanti sit momenti. Cap. 60.

EPiscopus causas ad se revocare potest, quæ coram suo vicario aguntur, & revocatio alicujus causæ per superiorem facta, magis Iurisdictionem suspendit inferioris Iudicis quàm Appellatio.

Post appellationem legitimam à sequestro, appellans liberè fructus percipit. Cap. 61.

SI à sequestro fuerit appellatum, & appellatio legitimè prosecuta fuerit, ea pendente, possessores bonorum sequestratorum, & alii eorum nomine liberè, & impunè utantur eisdem.

DE

DE REGVLIS IVRIS.

Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.	*Decr.* 4.
Quæ propter necessitatem introducta sunt, non debent in argumentum trahi.	*De regulis juris. ff.*
Semel malus, semper præsumitur esse malus.	
Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari.	122. 68. *& sext.*
Refertur ad universos, quod publicè fit per majorem partẽ.	
Cum tempus in Testamento adjicitur, credendum est pro hærede adjectum, nisi alio mens fuerit Testantis.	8. *ff.*
Quæ in testamento ita scripta sunt, ut intelligi non possint, perinde sunt, ac si scripta non essent.	
In pœnalibus causis benignius interpretandum est.	
Fere in omnibus pœnalibus Iudiciis, & ætati, imprudentiæ succurritur.	*& De reg. ff.* 174.
Imperitia culpæ annumeratur.	*Sex* 80.
Generi per speciem derogatur.	*&* 189.
Semper generalibus specialia insunt.	113. *&*
In toto pars continetur.	60.
Accessorium naturam sequi congruit Principalis.	6
Cum principalis causa non consistit, nec ea quæ sequuntur, locum habent.	138
Nõ debet, cui quod plus est licet, quod minus est, nõ licere.	21
Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non obtemperat.	159
Hæreditas est successio in universum jus, quod defunctus habuit tempore mortis.	*ff. de re.* 62 *& de ver. sin.*
Qui rebus mobilibus præficiuntur per defuncti testamentum, hæredes testamentarii sive executores appellamus.	24.
Hæredis appellatio ẽ oẽs significari successores credẽ ũ est.	*ff.* 70.

173 Nulla mora ibi intelligitur, ibi nullo petitio est.
48 Qui dolo desiit possidere, pro possessore damnatur.
Quicquid calore iracundiæ vel fit, aut dicitur, non prius ratum est, quàm si perseverantia apparuerit judicium animi fuisse.
Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipiatur, quæ rei gerendæ aptior est.
55 In dubiis benigniora sunt præferenda.
96 In obscuris, quod minimum est, sequendum.
10 Secundùm naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur commoda.
(10. Vani temporis non justa excusatio est.
194. 6. Ratihabitio retrahitur, & mandato æqui paratur.
69 Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine gestum non est.
611 Cum sint partium jura obscura, Reo favendum est potius, quàm Actori.
13 Ignorantia facti, non Iuris, excusat.
15 Odia restringi, favores convenit ampliari.
16 Decet concessum à principe beneficium, esse mansurum.
17 Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum.
Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.
21 Quod semel placuit, amplius displicere non potest.
22 Non debet aliquis alterius odio prægravari.
23 Sine culpa nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.
27 Scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus.
34 Utile per inutile non debet vitiari.
38 Ex eo non debet quis fructus consequi, quod visus est impugnare.
39 Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex eo.
90 Pluralis locutio, duorum numero est contenta.

Impu

Imputati non debet ei, per quem non ſtat, ſi non facit quod per eum fuerat faciendum.	41
Qui tacit conſentire videtur.	43
Qui tacet non fatetur, ſed nec utique negare videtur.	ff. 184
Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probetur.	ſ. 47.
Non præſtat Impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.	ſ. 52.
Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.	ſ. 54.
Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.	61
Nullus ex conſilio (dummodo fraudulentum non ſit) obligatur.	62
Exceptionem objiciens non videtur de intentione adverſarii confiteri.	63
Quod ſuo nomine non licet, nec alieno licebit.	67
Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.	68
Quod alicui gratioſè conceditur, non debet ab aliis in exemplum trahi.	74
Delictum perſonæ, in detrimentum Eccleſiæ, non debet redundare.	76
In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpem conceſſurus.	81
Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.	83
Quum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.	84
Infamibus non patent portæ dignitatis.	87
Is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.	88
Non quicquid Judicis poteſtate permittitur, juris neceſſitati ſubjicitur.	
De qua re cognovit Judex, de ea quoque pronunciare cogendus eſt.	

Nullus existimandus est dixisse, quod non mente prius agitaverit.

ff. 195. Pronuntiatio sermonis in sexu masculino ad utrumq; sexũ, plerumq; porrigitur.

ff. 43. & 44. Quæ esui, potui cultuiquæ corporis, quæq; ad vivendum hujusmodi necessaria sunt, vestimenta quoq; & stramenta, & cætera, quibus vivendi curandivè corporis nostri gratia utimur, victus verbo continentur.

ff. 51. Parentes appellatione, pater, avus, proavus, & omnes superiores continentur: sed & mater avia & proavia.

220 Liberorum appellatione, nepotes & pronepotes cæteriq; qui ex his descendunt, continentur.

201 Filii appellatione, sicuti filia, ita & nepos comprehenditur.

ff. 64. Intestatus est, non tantum qui testamentum non facit, sed etiam is, cujus ex testamento hæreditas adita non est.

79 Impensæ necessariæ sunt, quæ si non fiant, res aut peritura est aut deterior fiet, utiles, quæ rem meliorem faciunt voluptuariæ, quæ speciem duntaxat ornant.

121 Usura pecuniæ in fructu non est, quia non ex ipso corpore sed ex alia causa est, id est, ex nova obligatione.

129 Qui mortui, quiq; abortivi ante septimum mensem, aut octavum nascuntur, neque nati, neq; procreati videntur.

141 Etsi mulier creditur filium habere cum moriretur, qui excisso ventre edere possit, tamen falsum est eam peperisse, cui mortuæ filius expectus est.

152 Hominis appellatione, tam fœminam quàm masculum contineri non dubitatur.

Puerii appellatione, etiam puella significatur.

Solutionis verbo, satisfactionem quoq; omnem accipiendam placet, quam creditor acceptare voluerit.

Qui in utero est, pro jam nato habetur, cum de ipsius commodo quæritur.

Duobus

Duobus negativis verbis, quasi permittit lex magis quàm prohibet. 237

Sylva cædua est, quæ in hoc habetur ut cedatur, & quæ succisa rursus ex stirpibus aut radicibus renascitur. *ff.* 30

Autentica sigilla declaramus nostra, Archiepiscoporum, Episcoporum, Decanorum, Ecclesiarum Cathedral. & earundam Ecclesiarum, Capitulorum, Archidiaconorum, & eorum Officialium. Quæ penes, ipsos aut ipsorum legitimos deputatos, & nullo modo apud suos Registrarios, seu Actorum scribas custodiri volumus.

FINIS.